Ex Collegio Laudunensi

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
719

189.3.2.

D. D Grandin

1660

M.S.t. III.92

Tractatus de Trinitate

Ad quaestionem 4. primae partis doctoris Angelici et sequentes





UNIVERS. REGIA FACULT. THEOLOG. PARIS

COLLEGIUM LUDOVICI MAGNI

Aggredimur Augustum SS.ma Trinitatis mysterium dignum solo christiano sive doctore sive auditore argumentum. Nam ut loquitur S.tus Hilarius, libro 8.vo de Trin. hoc Ecclesia intelligit. hoc synagoga non credit. hoc philosophia non sapit; fidem postulat haec tractatio, rationem omnem mentemq. vincit. Exorandus itaque deus cum eodem sancto Hilario libro 1.o ut praedicti huius coepti exordia incitet, et profectu accrescente confirmet, et ad consortium vel prophetalis vel apostolici spiritus vocet, ut dicta eorum non alio quam ipsi locuti sunt sensu apprehendamus, verborumque proprietates, iisdem

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE



rerum significationibus Exequamur, quo vero minus de nostro sapere videamur, doctoris Angelici non doctrinam modo, sed doctrinæ ordinem ac Methodum nobis sequendam proponimus. Sit

Quæstio 27.ma

De Processione diuinarum personarum

Articulus primus

Vtrum processio sit in diuinis

Mysterium quod tractamus, græce τρίας latine trinitas nominatur, quæ voces licet per se ternarium quarumlibet rerum numerum significent, tamen vsurpantur ab Ecclesia ad designandas tres in vna dei essentia personas; Non leguntur quidem in scripturis sacris; Eas tamen vsurparunt Ecclesiastici Scriptores ad rem præsentem explicandam; quomodo nomen Incarnaõis transsubstantiationis consubstantialis aliasque voces inuexerunt. Neque id temeré; Nam

Et docet S.tus Th. q.stione 29.a artic. 2.° ad 1.um. Si de deo oporteret dici solum illa quæ Sacra Scriptura de deo tradit, sequeretur quod nunquam in alia lingua posset aliquis loqui de deo nisi in illa in qua 1.° tradita est Scriptura Veteris vel novi testamenti.

Cum autem concipi possint tres personæ sine ulla processione, iure quærit Sanctus Doctor utrum processio sit in divinis. Neg. solum — docet processionem esse, sed etiam explicat — qualisnam sit processio. imo et dum scribit verbum procedere secundum emanationem — intelligibilem, indicat quodnam sit processionis verbi divini principium, unde et quodnam sit principium Spiritus Sancti colligi potest, et nos eodem momento ad primum hunc articulum explicabimus, sed prius

Nota duplicem a S.to Th. distingui processionem unam ad extra, alteram ad intra. prior duplex est, nam vel est causa in effectum, sicut movens in id procedit quod movet, et circa quod agit, vel effectus a causa, sicut calor ab igne procedit, posterior item duplex, altera imperfecta qualis est processio verbi mentis ab intellectu Creato, altera perfecta qualis intelligitur — verbi divini a patris intellectu processio. In explicando qualis sit processio, expendemus —

Sitne tantum ad extra, sive tanquam Cāa
in effectum, sive tanquam effectus a Causa.

Nota 2° tolli Trinitatem personarum, si
ponatur hic sola dei processio ad extra tanquam
Causa in effectus; nam sic procedere, est deum
non 2dum naām solum, sed et 2um personam
realiter unum in diversos effectus erumpere,
et patrem dici quatenus Creat, filium —
quatenus humanam naam assumpsit, Spiritum
Sctum quatenus Creaturam rationalem sanctificat
et ad vitam spiritualem movet, tolli vero —
personarum Consubstantialitatem, si ponatur
processio ad extra tanquam effectus a Causa
est enim patrem, et filium et Spiritum
Sanctum esse tres personas, sed et tres naās
simul, quod filius et Spiritus S.tus a patre
tanquam effectus a Causa procedant, tollitur
quoque Consubstantialitas si processio quidem
ad extra sed imperfecta fuerit, ac proinde ad
explicandum qualisnam sit processio, —
expendendum est, utrum cum ea Trinitas —
personarum et Consubstantialitas.

Quaremus 1taq. circa 1.um articulum hae
quatuor, 1um an sit aliqua processio in divinis.
2o utrum personarum Trinitas. 3a utrum personarum
Consubstantialitas. 4o quaenam sint processio
num principia. Sit

Sectio prima
Vtrum sit aliqua processio in divinis

Vnica Conclusio. Est aliqua in divinis processio. Ita S.tus Th. hic et Theologi communiter.

Prima ex Scrip. Joan. 8.vo Ego enim ex deo processi, ubi filius de se loquitur. Joan. 15.o mittam vobis Spiritum veritatis, qui à patre procedit. his similia sunt veteris testamenti loca psalmo 2.o Cap. 3.o hodie genui te. Eccls. 24.o Ego ex ore altissimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam. Micheæ 5.o Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.

2.o Symbolum Nicænum, de filio, lumen de lumine, deum verum de deo vero, et Symbolum Sancti Athan. de Spiritu S.to Spiritus Sanctus à patre et filio non factus, nec creatus nec genitus sed procedens.

2.o In nãa Intellectuali Creata, est aliqua processio, procedit enim verbum mentis ab intellectu Creato, et sunt est voluntatis Creata terminus, ergo in natura intellectuali Increata, sive in deo

est aliqua processio, scilicet per quam filius et Spiritus Sanctus procedant.

Aduerte nomen processionis sumi dupliciter; 1º ut est commune processioni filij et Spiritus S.ti 2º. ut Ecclesiæ usu accommodatur soli processioni Spiritus S.ti, qui dicitur non factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens ut paulo ante ex symbolo S.ti Athan. vidimus; hic generalius accipitur.

Sectio secunda

Utrum sit In diuinis Trinitas personarum.

Agitur, de tribus personis non solo nomine sed ipsa re distinctis.

Sabellius homo in Lyuia siue pentapoli ab Cyrenaica prouincia oppido ptolemaidæ natus circa annum Christi 257.um sparsit hanc hæresim unicam esse in deo personam trinominem, adeoque eundem esse patrem, et filium, et Spiritum Sanctum, ut solum ad eandem hypostasim tres appellationes conueniant, ut eius mentem —

explicat Sanctus Epiph. haresi 62ª qui error explicatur similitudine Solis qui bonus est, et virtutem triplicem habet, scilicet bm calefaciendi bm illuminandi et rotundam figuram, et bis Calefaciendi Spiritui S.to, bis illuminandi filio conuenit, pater vero sit totius hypostaseos forma. hic error fuit antiquior Sabellio, nam et Ethnicos taceam, quibus ignota fuit personarum trinitas, et Judaos, ad quorum perfidiam — Sabellianum refert Sanctus Basilius Epist. 64ª Eum alij a Christo nato ante Sabellium — tradiderunt.

4º Sanctus Ignatius Suppar apostolis Epist. ad Tralianos meminit haresis bnam in deo personam ponentis.

2º Tertull. libri de præscriptionibus Cap. 52º scribit eius portionis Catafrigum qua vera dicitur. Scilicet anno circiter 172º hanc primatam blasphemiam fuisse, et dicerent Christum ipsum, filium esse et patrem, et proinde filium a patre non distinguerent.

3º Idem Tertull. Citati libri Cap. 53º Dicit praxeam hanc haresim introduxisse scilicet circa annum 200.um quam victorinus Corroborare curauerit, et patrem omnipotentem

esse Jesum Christum, eumq. Crucifixum passum, ac mortuum esse Contenderent.

4.º Sanctus Aug. hæresi 36.ª narrat Noetum, hominem vel Ephæsium vt S.to Epiph. placet hæresi 57.ª, vel Symirnensem, vt Theodoretum, hæreticarum fabularum libro 3.º docuisse christum eundem esse patrem et Spiritum Sanctum. huius discipulus fuit Sabellius, vt quibusdam videtur, Certe Sectator fuit, nam quod S.tus Epiph. in Anacephaleosi á Noeto, Sabellium separat quod negauerit patrem passum esse. Id miratur S.tus Aug. hæresi 41.ª et ab ijs vni Sectæ diuersa nomina imposita esse Commemorat. Sabellium nec multo post Secutus est paulus Samosatenus, qui vt christum purum hominem esse voluit, vt indicat Sanctus Aug. hæresi 44.ª, Sic Trinitatem τρινιποστατον esse negauit vt intelligitur ex S.to Epiph. hæresi 65.ª et S.to Athan. oratione de aduentu, qui dum ait Sabellium pauli Sententiam approbasse, vtriusque eundem errorem, non hunc ante illum fuisse ostendit; Cum Sabellii hæresis patefieri coepisset tempore Sixti, vt patet ex Epistola Dyonisij Alexandrini apud Eusebium libri 7.i historiæ Cap. 5.º pauli vero Samosateni nonnisi post aliquot annos eruperit, puta

anno 5.º Dyonisii papæ, qui Sixto Successit sub quo Dyonisio Celebrata est 1.ª Antyochiæ synodus Contra pauli errorem. Eandem hæresim S.tus Leo Epistola 93.ª Cap. 1.º tribuit priscilliano, qui Circa annum Christi 380.um Ecclesiam bexare Cœpit. Ad eos accessit Sæculo Superiore Michael Seruetus ob errores Suos geneua Comprehensus et Caluino Authore, igni traditus. Alios recentiores omitto.

Quicunque bero erroris istius, Siue Satores Siue propagatores extiterint, Secta præ Cæteris Suum nomen Sabellius Imposuit. Nam ex S.to Aug. Citata hæresi 41.ª Noetiani a Noeto dicti, bix Sciebantur ab aliquo, Sabelliani bero erant in ore multorum; ubi tamen

Obserua patripassianos, quam Sabellianos Crebrius Nuncupatos Scilicet, quod elicerent patrem passum, et patripassianorum nomen multo ante Sabellium Usurpatum fuit, ut patet ex Epistola 73.ª Sancti Cypriani quæ ad Jubaianum; Ex quo hanc hæresim ante Noetum Contra quam Sentit Sanctus Epiph. hæresi 57.ª innotuisse Constat et nos, iam ex Tertull. et S.to Ignatio priorem Noeto fuisse ostendimus. Contra hunc errorem Sit.

Unica Conclusio. Existit in divinis Trinitas personarum. Ita sentit Catholica fides.

Quod autem hoc mysterium, Judæi, hæretici quidam ac gentiles negant, non bene argumentorum genere astruendum est.

Adversus Judæos argumenta exponuntur ex Vetere testamento. Contra hæreticos etiam ex novo, cum Ethnicis negative quam positive agitur. Nam licet Suaderi possit trium personarum existentia, vel peculiaribus argumentis illam probabilem efficientibus, vel generalioribus, qualia sunt quæ dicuntur motiva Credibilitatis, quibus ostenditur dignam esse doctrinam Catholicam cui fides adhibeatur, tamen demonstrari non potest, sed neque his locus est assumendi motiva Credibilitatis, de quibus commodius tractatur de fide. Si qua sint congruentiæ, vel hic vel alibi data occasione proferentur.

Argumenta ex Vetere testamento

Primo afferuntur ea loca in quibus Ebræi sermo est de deo, pluralis numerus singulari

ingitur, et indicatur unitas naturæ et personarum trinitas; Genes. Cap. 1° versu 1°, In principio Creavit deus Cœlum et terram, et infra versu 26° faciamus hominem ad imaginem etc. Nam ibi inducitur unitas per particulas, Creavit deus, et pluralitas per particulas, faciamus nostram, quanam autem pluralitas unit personarum, eandem Scil. potentiam et operationem habentium.

Hic quidem Judæi tria respondent. 1.um hæc faciamus, nostram, dici ad indicandam majestatem loquentis, non pluralitatem secundum deum licet solum per easdem particulas se excitare ad opus. 2.um deum alloqui Angelos quasi præcipiat eis, et fabricent corpus humanum, et animam sensitivam ipso deo fabricante rationalem, quod sensit Philo libro de opificio sex dierum, sed hæc inepte.

Nam 1° Eodem versu, hic dicitur faciamus quo Cap. 3° versu 22° dicit deus, Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sed hic pluralitatem significat, et satis apertum est per se, quia sicut inepta esset ista locutio, factus est unus ex me, ita et hæc factus est

vnus ex nobis, nisi particula nobis, plurali
tatem significet, vnde et aptè locum hunc
sic exponit Rupertus. Adam quasi vnus
ex nobis factus est, vt iam non simus
nos trinitas, sed qua paternitas. 2o S. tuus
basilius, homilia 9a hexameron sub finem,
quis enim, inquit, faber aut ærarius, aut
lignarius, aut certè coriarius sutor, solus
ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante
stipatus, inter suæ artis instrumenta
desidens, quis, inquam, sibi soli admurmurat
dicens faciamus gladium, aut compingamus
aratrum, conficiamus calceamentum, ac
non potius silentio suam cum libuerit
accommodatam ad artem, exequitur operaõem?
sunt enim insignes profecto nugæ, vnum
aliquem inueniri, qui sibi imperet, siue
præceptorem desidere, ac viriliter seipsum
vehementerque vrgere et exhortari. 3o
idem sanctus basilius eadem homilia,
isti, enim inquit, Iudæi, vt ne vnum nempe
christum admittant, innumeras introducunt
personas, et per hoc quod filium habent
despicatui, seruis ipsam consultationis
tribuunt dignitatem. et post quid ad hæc
dicere paras? Num vna et dei et angelorum
imago est? prorsus filij patrisque forma

eadem ut sit necesse est, formam hic ut intelligamus necesse sit, quæ diuinam addeceat maiestatem, hoc est non lineamentis constantem corporeis, sed in peculiari numinis proprietate consistentem. Ubi sanctus basil. non vult angelis dictum faciamus, tum ne venerint in consultaoem cum deo, tum quod homo ad eorum imaginem non est creatus; nam neque homo 2dum corpus et animam sensitiuam angelos repræsentat.

Alia duci possunt momenta ex citato loco 1i geneseos 1o quod vox, in principio, significet verbum, seu filium, ut sit sensus, a deo per filium creata esse omnia. Ita sanctus Ambrosius, et 1tus basil. homilia 1a hexameron cap. primo: 2o quod ubi latinus interpres legit, creauit deus, hebræa ferant, creauit dij Elohin quod est pluralis numeri, non Eloah, quod est singularis; quod ad rem præsentem, obseruant Lyranus, burgensis, galatinus, et scholastici satis communiter cum magistro in 1um distinct. 2a, littera f, sed hæc Judæum non conuincerent. Non prius quia vox, in principio,

melius ad litteram significat initium temporis, ut eam accipiunt ijdem patres et Concilium Lateranense Cap. firmiter de Summa Trin. et Fide Catholica. Non posterius quia non desunt alia loca in quibus res singulares pluraliter enuncientur, genes. 24.° posuit ergo seruus manum suam sub foemore domini sui hebraicé dominorum suorum, Job 40.° Elephas vocatur Behemoth, id est, bestiae, 1.i regum 28.uo vidi deos ascendentes de terra, hebraicé Elohin, et tamen unus apparebat Samuel, homo scilicet diuinus licet Rabi, Kimchi, illi molem adiungat.

2.° Eadem scrip. ter aliquando repetit dei vel diuini attributi nomen, deuter. 6.° ubi legimus, audit Israel dominus deus noster deus unus est, scribunt hebraei, audi Israel deus, deus noster est, deus unus est, psalmo 66.° benedicat nos deus, deus noster, benedicat nos deus; Isaiae 6.° S.tus sanctus dominus deus exercituum. In his enim repetitionib. vel est inutilis fautologia, ταυτολογία, vel mysterium trium in una essentia personarum includitur. Et vero Rabbi Simeon filius Joäi

Trisagium illud sic exponit, Sanctus Sanctus, hic est pater, Sanctus Sanctus hic est filius, Sanctus Sanctus hic est Spiritus Sanctus ut refert Galatinus libri 2.i Cap. 2.o addens Rabinos Sanxisse ut bis saltem in die oriente scilicet et occidente sole tum illa Isaiæ, tum citata Mosis verba, ad profitendam personarum in una essentia Trinitatem recitarentur.

3.o Eadem Scriptura inducit deum loquentem alteri personæ, psalmo 109.o, dixit dominus domino meo, vox, dominus exprimit Tetragam Maton, Geoua, quod est nomen solius dei, vox, dominus meus, exprimit vocem Adonæi, quæ licet non ita sit proprium dei nomen, sed appellatiuum sicut et vox Elohin, Exodi 7.o, ubi sic Mosem alloquitur deus, Ecce constitui te deum pharaonis, tamen non alium isto loco, quam verum deum significat, quoniam additur, sede a dextris meis, quod æqualem potentiam, ex utero ante Luciferum genui te, quod æternitatem significat, et vero pharisæi, cum Mathæi 22.o putarent Christum esse filium dauid non dei, ad hæc christi verba, quomodo ergo dauid in Spiritu

vocat Eum dominum, dicens, dixit dominus domino meo, obmutuerunt, convicti scilicet particulam, domino meo, significare deum non davidem, unde obiter patet non alium psalmi auctorem de davide loqui, sed davidem de Messia. Nam et is de quo psalmi author, dicitur, sacerdos in aeternum, quod in davidem, aliumve, quam christum non cadit.

huic loco similis affertur Isaiae 45.° haec dicit dominus &c. tantum in te est deus, et non est absque te deus, veré tu es deus absconditus, deus Israel salvator, ubi deus pater deum filium alloquitur.

4.° Idem vetus testamentum indicat unam personam procedere ab altera, eamq. nomine originem significante exprimit psalmo 2.° dominus dixit ad me, filius meus es tu, Ego hodie genui te, hoc Rabi Kimchi vult dictum davidi, quod in regem unctus est, sed licet, vox, genuit, significet aliquando, creavit, ut deuter. 32.°, deum qui te genuit oblitus est, tamen vox hodie ostendit de davide cum unctus est, dictum non esse, genui te, quia multo ante unctionem

Creatus fuerat, psalmo 109.º Ex utero ante
Luciferum genui te; prouerb. 8.uo ante
omnes Colles, inquit, diuina sapientia, ego
parturiebar. prouerb. 30.º quis ascendit in
Coelum atque descendit? quis Continuit
Spiritum in manibus suis &c. quod nomen
est eius, et quod Nomen filij eius, si nosti?
particula, si nosti, rem humana Cognitione
maiorem significat. Ibi vero filij nomen
indicatur, indicatur et 3.a persona, sed in
sua symbolo, puta per Spiritum seu
ventum, qui est symbolum Spiritus S.ti
Micheæ 5.º Egressus eius, christi, ab initio
a diebus æternitatis. Ubi agitur non de æternitate
prædestinationis, sed processionis ad intra,
de qua ibi sicut paulo ante, agitur de processione
christi temporali, scilicet secundum humanitatem,
Ex te mihi egredietur, qui sit dominator In
Israel. hic autem
Obseruandum est si non ita expressé personarum
Trinitas explicatur in veteri testamento id factum,
ne populus Israeliticus ad Idololatriam propensus
tres deos adoraret, Tutius propalanda SS.mæ
Trinitatis Notitia post aduentum christi, cum
per orbem vniuersum Idololatria oppugnanda esset.
Interea, obscurius adhuc indicari 3.am personam
quam 2.am, quod filius Judæis promissus esset

et ex ijs Carnem humanam assumpturus.

Argumenta Ex Novo Testamento:

primo, afferuntur loca in quibus diserte tres numerantur personæ: Matth. Ultimo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filij et Spiritus Sancti. Joan. 15° Cum autem venerit paracletus quem ego (filius) mittam a patre Spiritum veritatis qui à patre procedit. ille testimonium perhibebit de me. 1ª Joan. 5° tres sunt qui testimonium dant in Coelo, — pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt, tres inquam, re, non nõie tantum, sicut tres sunt (re) qui testimonium dant in terra (quod Christus sit verus homo) Spiritus, aqua et sanguis, Spiritus emittus in Cruce, aqua et sanguis qui de christi mortui latere profluxerunt.

secundo. Ea proferuntur in quibus una persona procedere dicitur ab altera, et exprimitur nomine significante originem. — Joan. 8no Ego ex deo processi et veni, neque enim á meipso veni, sed ille me misit, Joan. 24° paraclytus autem Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia

et quoties nouum testamentum patris, verbi, seu filii, Spiritus seu paracleti, qua voces significant, originem, mentionem facit.

Tertio: proferuntur alia loquendi formulæ passim personarum distinctionem demonstrantes Et Cum filius dicitur esse apud patrem in sinu patris, Cum patre esse. Joan. 1° Verbum erat apud deum: Et post unigenitus filius qui est in sinu patris. Joan. 16° non sum solus quia pater mecum est, Nam ex Tertull. libri adversus praxeam Cap. 12°. Unus est qui est, et alius penes quem est. Cum pater de filio loquitur, tanquam de alio; hic est filius meus dilectus, In quo mihi bene complacui; Math. 3°. 12°. et 17°. Cum filius de patre, et Spiritu S.to loquitur tanquam distinctis. de patre, Math. 11°. omnia mihi tradita sunt á patre. Joan. 3°. pater diligit filium; omnia dedit in manus eius; Joan. 8.vo Judæis obijcientibus tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum, respondet, Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum quia scio, unde veni, et quo vado &c. et Si iudico ego, Judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me pater, et In lege vestra Scriptum est, quia duorum hominum testimonium —

Verum est. de Spiritu S.to Joan. 14.o Ego rogabo patrem, et alium paraclytum dabit — Vobis, Et Cap. 15.o Cum venerit paraclytus — quem ego mittam vobis á patre, Spiritum — veritatis, qui á patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Omitto ea loca in quibus veteris testamenti loca referuntur de filio math. 22.o; refertur illud psalmi 109.i, dixit Dominus Domino meo Sede a dextris meis, hebraeorum 1.o Illud psalmi 2.i filius meus es tu, Ego hodie genui te, et psalmi 44.i thronus tuus deus In seculum seculi, Virga aequitatis, virga regni tui, ubi — pater Invocatur alloquens filium, tanquam — personam á se distinctam.

Hic afferri posset professio fidei, Concilij — Antiocheni primi missa ad paulum Samosatenum in qua traditur filium esse alium á patre. — Eodem spectat Antiochenum 2.dum In quo — damnatus est idem paulus suam haeresim — retinere conatus, et é sua sede expulsus, Sed si his armis Ergendi essent adversarij — omnes pariis In Concilijs edita exscribenda essent fidei professiones, in quibus diserte á personarum Trinitas asseritur.

Haec quoque ratio posset Ergeri Contra Sabell. Si

numerantur tres personæ, non quod re distinguantur sed quod deus secundum personam unus per diversos effectus in creaturas processerit, posse multo plures tribus enumerari personas, cum infiniti prope distingui possint effectus quos in rebus creatis operatur, quid ni enim triplex persona numeretur pro triplicis generis creatura spiritali tantum, materiali tantum, spiritali et materiali simul, sed hæc non urgeo.

Obiectionum Solutio

Obijcies 1º in scrip. deus dicitur unus et solus, ad galatas 3º deus unus est; deuteron. 32º videte quod ego sim solus, 2º Esdræ 9º tu ipse domine solus, 1ª ad Thimoth. 1º regi sæculorum immortali, et invisibili soli deo, honor et gloria, ergo non sunt tres personæ.

distingo antecedens ad excludendam pluralitatem naturarum concedo, personarum nego, unus est essentialiter et substantivé, trinus adiectivé et personaliter; solus quia unam habet naam, non quia unam personam. Imo christus Joan. 8º solus, inquit, non sum, sed ego et qui misit me pater. Et cap. 16º non sum solus, quia pater mecum est; dicitur etiam deus solus syncategorematicé non cathegorematicé sed de hoc adhuc ad qstionem secundam.

Instas filius citato cap. 16°, omnia inquit, quæ pater habet mea sunt, et cap. 17°. omnia tua mea sunt. ergo non substantiuè solum, sed etiam personaliter filius est quid unum cum patre.

distingo antecedens. omnia essentialia scilicet per communicationem accepta concedo, omnia relatiua et personalia distingo, quatenus relationes seu personalitates identificantur essentiæ quæ est in patre, et filio concedo quatenus sibi inuicem opponuntur nego, — quomodo filius sit in patre, et pater in filio, pluribus explicatur quæstione 42ª. — articulo 3°.

Obijcies 2° Trinitas deorum impossibilis est, ergo et Trinitas personarum.

Consequens ostenditur, ideo tres esse non possunt dij, quia dei natura infinita est, omnemque perfectionem complectitur, Etsi dij plures essent, unus alterius perfectionem à se excluderet, sed persona diuina infinita est, ergo.

Nego conseq. ad probationem distingo maiorem, quia dei natura infinita est, et Trinitas deorum nihil dicit commune ratione cuius

unus deus alterius dei perfectionem Includeret
Concedo, Secus, nego. tres dij nihil dicerent —
Commune ratione Cuius unus Includeret —
perfectionem alterius, nam ad Summum —
Convenirent in nãa universali per Cuius —
unitatem non fit ut inferiora mutuas perfect
iones Includant. At Trinitas personarum —
aliquid Commune dicit Scilicet essentiam raõe
Cuius una alterius perfectionem includat, Nam
licet personæ ut opponuntur sese excludant —
a se Invicem, tamen in se invicem sunt, ut
sunt quid idem Cum hac numero Essentia
et hæc essentia est quid idem Cum ipsis.
Ideo Sanctus Athar. oratione 4.a Contra —
Arrianos dicit quidquid est filius, ut universum
esse proprium substantiæ patris, hoc est
illi intrinsecum, Et in oratione Contra
Gregales Sabellij, filius, inquit, identitatem
habet Cum patre, Et tamen ipse interim —
pater non est, sed unitus, hoc est unum —
natura Cum patre; Et Sanctus Th. qstione
30.a articulo 1.o ad 4.um tantus, inquit, est
pater quanta Tota Trinitas.
Ex quo patet quomodo numerus excludendus
non sit a deo; numerus absolute dictorum ab
eo excluditur, de quo accipitur illud boetij —

de deo loquentis libro de Trinitate, quod hoc
vere Unum est in quo nullus est numerus.
Non excluditur numerus relative dictorum,
nam sic Unum relatum non est aliud —
quatenus ad illud refertur, et tamen sit
illud ipsum in quantum illud sibi in rea
divina identificat. S^tus Thomas citato —
mox loco sic admittit in deo numerum —
simplicem, qui non est, inquit, nisi in acceptione
intellectus nostri, et non excludat numerum
prout est in rebus numeratis, Excludit
solum eum in quo secundum rem est totum
et pars, maius et minus, quia totum plus
includit quam pars, et in rebus Creatis
Unum est pars duorum, et duo trium.

Instat si pater includeret perfectionem
filij, denominari posset filius, falsum
Consequens ergo.

Nego maiorem, nam quidquid aliquid habet
non omni modo ab eo denominatur, v.g. qui
genitus est In Creatis recipit generationem
Et actio est et passio, non tamen dicitur
generans, filius non dicitur nisi qui est
ad patrem; pater vero ad patrem non est, imo
ne quidem pater a filiatione denominari potest
eo modo quo essentia haec dei potest filius, per —

identitatem, ille non item. Nempe natura
nihil Jncludit secundum se ratione cuius
distinguatur a filio; pater vero paternitatem
includit per quam ab eodem filio distinguitur.
Ideo Stud greg. Nazianz. oratione 5ta de Theologia,
filiud, inquit, non est pater, sed quod nec
pater nec Spiritud Sanctus est, filiud, sed
quod filiud; atque ita Jnconfusa trium
personarum distinctio, Jn una diuinitatis
nãa conseruatur.

Jnstas iterum. Jdentificatio trium
personarum in nãa non facit vt perfectiones
mutuas Jncludant, quantum satis est ad
includendam omnem perfectionem, Nam cum
habere perfectionem formaliter sit perfectio
quaedam, plus est eam habere formaliter
quam solum per Jdentificationem. ergo tam
repugnat Trinitas personarum quam
Trinitas deorum.

Nego antecedens. nam vt Jncludant mutuas
perfectiones, quantum satis est ad includendam
perfectionem omnem, satis est quod eas Jncludant
quatenus Jncludi possunt, et postulant, sic
non est necesse vt infinitam diuinae nãae
perfectionem vt includat formaliter calorem
ignis, satis est vt eum eminenter Jncludat

quia sic tantum potest et postulat includi,
at filiatio licet in natura divina includi
formaliter possit Et postulet, non tamen in
patre, imo postulat ab eo formaliter exclud-
Cum ei opponatur, et relatum postulet a-
seipso formaliter Excludere correlatum suum.
Itaque satis esse potest ad Includendam
perfectionem omnem, quod omnia perfectio
simpliciter simplex sit in re, et perfectiones
secundum quid sive simplices quae scilicet non
sunt meliores ipsa quam non ipsae, vel aequalem
perfectionem ab eodem supposito excludunt, aut
eminenter solum, aut per Identificationem —
Cum Essentia, aut etiam aequivalenter Includantur.
aequivalenter inquam, supposita Eadem natura
ne quid inferat deos plures esse posse, quia licet
Enuda deus non induceret alteriùs personalitatem
ac perfectionem numericam, tamen eam aequivalenter
Includeret.

Instat postremo. Aquè posset intelligi
Trinitas naturarum Identificari in una —
persona, et Trinitas personarum in una —
essentia. ergo perinde personarum Trinitas
impossibilis est, et Trinitas deorum.

Nego antecedens. Nam Trinitas personarum
datur quia natura divina et praescindit a personis
fecunda est; polletque intellectu Et voluntate —

quæ processionum principia sunt: Ex quo fit
Et suus intellectui terminus assignetur,
scilicet verbum, suus voluntati scilicet spiritus
sanctus: at nihil tale contingeret, si daretur
una subsistentia, quæ enim posset illius
Et á natura præscinderet esse foecunditas,
quænam principia haberet, unde plures
dij Existerent.

Obijcies 3º pronunciatum illud quod
pphi sumunt Ex doctrina Aristotelis 3i
physicorum Cap. 2º textu 10, quæ sunt
eadem uni 3º sunt Eadem inter se, sed
tres personæ sunt Eædem in essentia diuina,
tanquam in uno 3º ergo

distingo maiorem quæ sunt Eadem uni 3º
adæquatè sumpto, vel Incommunicabili concedo.
inadæquatè sumpto, vel communicabili,
distingo, secundum quod in tertio conueniunt
concedo, secundum quod non conueniunt
nego, verum est pronunciatum priore modo
v.g. verum est, Jesus est Christus, quia duo
illi termini conueniunt In titulo filij
beatæ Virginis, et sumitur hic terminus
adæquatè, estque Incommunicabilis; verum
est item 2dum posteriorem modum, v.g.
petrus est quid idem In humanitate cum

Paulo Secundum quam Cum paulo Conuenit, non est tamen verum ad astruendam omnem identitatem si 3.um inadæquaté sumatur sitque Communicabile. Imo 3.i natura perimeretur, si ob identitatem Cum eo quatenus inadæquaté sumitur et Communicabile est, alia duo vnum essent inter se, quoniam Ex hypothesi non esset magis Communicabile, quam vnum eorum, quod maiorem eius extensionem destrueret.

Ideo syllogismus ille expositorius Non Concludit petrus est homo, paulus est homo, ergo petrus est paulus, quia terminus, ille, homo in quo sunt quid vnum petrus et paulus adæquaté non sumitur, estque Communicabilis at Cum dico pater Est deus, essentia diuina adæquaté non sumitur quasi totaliter patri et non alteri personæ Conueniat, Estque Communicabilis alteri personæ, tale nihil occurrere in Creatis rebus fatemur, Nam vbi res duæ in vna singulari Conueniunt, sunt illæ quid vnum inter se, quia nulla res Creata singularis Communicabilis est, ac proinde si Communicatur adæquaté Communicatur, sed qui deum intelligit, etiam in illum proprium aliquid ac

singulare cadere posse non negabit. Nec ægre concipiet si res creata finita singularis pluribus communicari non possit. tamen rem creatam infinitam pluribus communicari posse. Ut sicut necessitas singulari naturæ diuinæ conuenit quæ tamen non conuenit nãæ creatæ nisi uniuersali, sic aliqua communicabilitas conueniat eidem nãæ diuinæ licet nãæ creatæ nisi uniuersali non conueniat.

Neque ideo infirmum erit principium illud quæ sunt eadem &c. quo niti syllogismos affirmatiuos pphi docent, Nam eatenus ualidum erit quatenus inductum est á pphis ad easdem syllogismos confirmandos at solum inductum est quatenus illud in quo res duæ conueniunt adæquate sumitur, et non est communicabile, uel tantum probat res duas in eo esse quid idem secundum quod in 3°. conueniunt, quomodo uel ipse pphus citato cap. uult 3um esse unum re et ratione, ut duo quæ sunt eadem in ipso inter se conueniant.

Sectio tertia

Vtrum diuinæ personæ sint Consubstantiales

Personas Consubstantiales esse est patrem esse deum, filium esse deum, Spiritum sanctum esse deum, Et trium personarum vnam esse numero naturam ac substantiam; hæretici vero quadruplicis sunt generis a quibus Consubstantialitas impugnata est.

1° Tritheitæ docuerunt tres quidem esse personas, sed tres quoque naturas, hunc errorem Inuexit Joan. philoponus Alexandrinus philosophus, vt tradit Nicephorus libri 18.ni historiæ Cap. 47.° volebat sané vnam dari naam diuinam sed in multis personis existentem, quomodo naam humanam ab Individuis seiunctam dicebat vnam, at coniunctam cum personis multiplicem statuebat, sicut et naam humanam In singularibus docebat esse multiplicem, ideo non communem diuinitatis Naam, sed eam quæ est in verbi substantia, et quæ secreta esset á patre, et Spiritu S.to vnitam

esse volebat humanæ naturæ, sicut nec communis humanæ naturæ ratio assumpta est.

2°. Abbas Joachim docuit tres personas sola collectione unum deum esse, sicut populus unus est; ac proinde nam unam tribus communem esse. damnatur in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3°. cap. 2°. huic errori præcurrerant nonnulli quorum est hæresis 7.a apud S.tum Aug. libro de hæresibus, qui triformem sic asserebant deum, ut quædam pars eius sit pater, &c. hoc est quod dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, volut ex his tribus compleatur.

3°. Arrius presbiter Alexandrinus docuit dei filium non esse deum sed creaturam, quanquam illum cæteris creaturis faciebat multo perfectiorem. Jactabat in fulgus filium non esse genitum ex substantia patris sed ex nihilo, sive ex non extantibus, non esse patri ὁμοούσιον consubstantialem, sed ὁμοούσιον similis naturæ, vel ἑτεροούσιον diversæ naturæ. totum esse minorem

patre, eique subrectum. Esse filium dei gratia solum et adoptione non natura. — productum in tempore quamuis ante alias Creaturas; deum semper fuisse deum — non patrem, filium in rerum Creatione ministrasse patri, et patrem per eum — velut instrumentum, omnia Creasse. — filium esse voluntate, Naturaque mutabilem, patrem inuisibilem esse. filium visibilem. quod autem filium Creaturam esse volebat, idipsum sentiebat de Spiritu S.to imo — faciebat illum Creaturam Creaturæ, hoc est, ab ipso filio Creatum. hæc patent ex Epistola Alexandri Episcopi Alexandrini quam refert Theodoretus historiæ Ecclesiast icæ libro 1o Cap. 4o. S.tus Aug. Citati libri hæresi 49.a et alijs, qui de Arriana hæresi scripserunt. Cum autem Alexandriæ orta sit, Arrio per Inuidiam ob promotum ad Alexandrinam Ecclesiam Alexandrum — hanc discordiæ et Contentionis materiam — arripiente. Est enim æmulatio Schismatum mater, vt loquitur Tertull. libro de præscript. ibidem eo non in Ecclesia solum, sed etiam extra in hominum Circulis, in hominum — Congressibus vt refert Theodoretus Citati libri Cap. 2o disserente disseminata est, atque inde — totum fere orbem terrarum occupauit.

Neque cum Arrio error ille pestifer Extinctus
est, Nam cum exceperunt tres Secte, prima —
actianorum, qui, actio duce, meram arrij blasphemiam
secuti sunt, scilicet filium e Nihilo Creatum esse
fuisse tempus cum nundum Existeret, esse
patri dissimilem: Idem Anomiani Et Exucontij
Dicti sunt, quod filium patri dissimilem dicerent
Et Ex nihilo ortum. Secunda Semianorum
qui filium patri per omnia similem, et 2.um
substantiam, quamuis non Consubstantialem —
docerent, Cuius Secte principem faciunt —
Basilium Antyranum Episcopum. 3.a Acatia
norum Signifero Achatio Cesariensi Episcopo —
qui filium patri Similem docebant, scilicet
quemadmodum imagines Archetypis Similes
sunt; Ideoque dissidebant ab Anomeis, negabant
tamen diuinitate vel æternitate, vel Ella nãa
proprietate parem et æqualem, qui proinde solo
Nomine recedebant ab Anomeis, quippe qui filium
ideo solum patri Similem nominarent, quod —
dissimilem dici aures christiana abhorrerent,
quo factum est Et In Antiochena Synodo, anno
360.o Cum liberius loqui potuerant, Eraserint
Similis nomen ex Ariminensi, seleuciensi et
Constantinopolitana formulis, Sicque ad actianos
seu anomeos, a quibus achatius odio Cyrilli —

hierosolimitani recesserat, redierint. Unde et duæ sectæ pro tribus numerari possunt scil. anomæorum, et semiarianorum. quanquam et horum duplex genus affertur. Alij dicebant filium ante sæcula genitum, et non ex tempore quamuis non ab æterno, de quibus sanctus Aug. Initio libri sexti de Trinit: Alij fuisse ab æterno, sed non eiusdem naturæ cum patre, quæ mens fuit basilij Ancyrani, eiusque sectatorum, filium quidem ex similitudine patris, non tam ex eius substantia ortum esse dicentium, unamque essentiam negantium. Licet dicerent eum non esse creaturam, esse verum dei filium, patrem esse vere patrem, genuisse ex sese filium ut constat ex s.to Epiph. hæresi 73.a Ideoque sanctus Athan. alijque patres commodius habuerint semiarianos quasi verbo tenus differrent a catholicis, solumque consubstantialis nomen reijcerent.

Quoquo vero nomine fruticauerit hæresis illa extendit se se longissimè ad consequentia tempora Quid enim dicant ad sancti greg tempus vigmisse Arrianismum, ut obseruat ipse libri 3.i dialogorum cap. 31.o uti meminit Ermigisdi seu herminigildi sub patre Arriano martyrium in

hispania passi; quid ad Sancti Bernardi, Cum Epistola 109.a Aballardum tanquam Arrianum reprehendat; Nam et hoc et Superiore Sæculo reparata potius quam huc usque propagata fautores invenit, præsertim in Polonia, ac in primis faustum Socium Et Joannem Crellium arrianos. An Sabellianos dixeris parum refert, qui utriusque Sectæ argumentis dixit unum patrem esse verum ac Summum, filium sola humana naã Constare, Et deum Solummodo dici ob Excellentiam dignitatem; Spiritum Sanctum ne Substantiam quidem sed divinum tantum et Sanctum quendam afflatum, seu vim a deo manantem esse, quæ hominibus inspiretur, Impiè Commenti sunt.

4.o Macedoniani anno 360.o negarunt Spiritum Sanctum esse deum. ducem habuerunt Macedonium Episcopum Constantinopolitanum annumeratum Semiarianis, Non quin error iste Arrij fuerit, Nam fuisse tradit Sanctus Aug. Citata hæresi 49.a Sed quo eum palam et Conceptis verbis non doceret, unde nec Concilium Nycænum In errorem Arrij Circa filij divinitatem, Solum intentum de Spiritus Sancti divinitate quidquam definijt quod et factum monet S.tus basilius Epistola 78.ua quia nundum ista qstio fuerat Excitata, scilicet publicis Contentionibus: Non nego tamen e

Macedonianis fuisse qui de filij divinitate Catholicé sentirent. Nam S.tus Epiph. hæresi 74.a docet ex eis fuisse qui in solo Spiritu sancto aberrarent. Imo et sanctus Aug. hæresi 52.a de Macedonianis generatim, de patre, inquit, et filio recte sentiunt, quod unius sint, eiusdemq. substantiæ vel essentiæ, sed de spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Quidquid sit eos sanctus Epiph. et sanctus Aug. νευματομάτους vocant, quod litigarent de spiritu sancto, dicti sunt quoque semiariani quod in hoc cum illis sentirent, vel pars Arrianismi sit, negare spiritum sanctum esse deum.

hoc loco Tritheitas non oppugnabimus. Id Theologi præstant huius partis qstione 4.a ubi de Trinitate dei. Solum refellendi sunt tres sequentes errores, quod fiet tribus punctis. primum erit quod pater secundum se sit deus. secundum, quod filius deus. 3.um quod spiritus sanctus sit deus.

Punctum primum
Quod pater secundum se sit deus.

Si pater secundum se sit deus, deus non erit

tantum vnâ collectione trium personarum quod Abbas Joanni tradebat, sicut populus non esset collectio, si vnus homo populus foret. Sit.

Vnica Conclusio. Pater secundum se est Deus.

1° Ex scriptura, psalmo 88.mo ipse invocabit me, pater meus es tu Deus meus, et susceptor salutis meæ. Sapientia 5.to gloriatur patrem se habere Deum scilicet Christus. Matth. 11° Confiteor me tibi pater domine cœli et terræ. Joan. 1° Et Verbum erat apud Deum. Joan 17° hæc est vita æterna et cognoscant te solum verum Deum. 2ª Corinth. 1° gratia nobis á Deo patre nostro et domino Jesu christo.

2° In Concilio Lateranensi sub Innocentio 3° Capite damnamus. definitur contra Abbatem Joachim, vnam et summam rem esse qua veraciter pater est, filius, et Spiritus sanctus, ubi Concilium intendit concludere vnitatem collectionis, sicque pater est Deus, non solum et cum filio et Spiritu sancto, sed et secundum se, et veluti seorsim accipitur.

2°. Si pater secundum se non est deus, ergo finitam naturam habet, sed hoc falsum est nam cum deus sit ens infinitum, ad eum constituendum pater, cum filio et spiritu sancto concurrere non poterit, cum trium secundum se finitorum collectio rem infinitam constituere non possit; ergo pater secundum se est deus.

Dices. potest pater intelligi infinitus, et eo modo concurrere ad constituendum deum quo a nobis nunc ex suis attributis, quamvis numero finitis, tamen secundum propriam perfectionem infinitus constitui concipitur, ergo.

Sed justo, si pater intelligeretur infinitus, non continuo naturam infinitam haberet, sicut infinite quantitatis natura infinita non esset. neque enim quidquam secundum naturam infinitum est, nisi cuius essentia est aby suis perfectionis omnis, qualem essentiam pater non haberet; adeoque pater secundum naam finitus ad constituendum deum, in quo debet esse bonum omne, omnisque perfectio, una cum filio et spiritu

sancto, naturam quoque finitam habentibus, Concurrere non posset, Neq. vero attributa diuina numero finita secundum propriam perfectionem, infinita deum ipsa Constituunt per se, sed quatenus supponunt Essentiam quæ est fons et radix omnis perfectionis, Cum qua sunt quid idem, et quam vicissim sibi identificant.

Opponebat Joachim Abbas, si pater est deus 2.um se et non 2.um Collectionem futuram non Trinitatem, sed quaternitatem, verum eo tollitur quaternitas, quod tres personæ sint vna et summa res puta essentia, in qua Conueniunt.

Instas illa summa res erit proprium paternitatis, ergo distinguetur ab illa, sicque admittenda erit quaternitas.

Distingo antecedens: erit principium virtuale sicut Essentia diuina principium Est attributorum etiam absolutorum, Concedo, reale nego, Neque enim tale principium est nisi vbi intercedit relationis oppositio, quod si pater est deus, et personam esse manifestissimum est. Est enim intellectualis et indiuidua substantia quod ad personam sufficit,

Unde explodit[ur] delirium Valentini gentilis qui
in Suis prothesibus dixit patrem non esse hypostasim
seu personam sed et Spiritum a quo omnia 2.um
Apostolum, qui et paulatim ad Arianismum —
delapsus tradidit tres personas non esse aequales
patrem Caeteris eminentiorem esse, et ut essentiator,
filium et Spiritus Sanctus Essentiati deorum
essent, imo et patris proprium foret, et unus et
solus deus appellaretur, quos errores Berna
apud helvetios Capitali Supplicio luit.

Punctum Secundum.

Quod filius sit Deus.

Unica Conclusio. filius est deus. Est
contra Arrium et propagatas ab Ario —
sectas.

Argumenta ex Veteri testamento.

1° Isaiae 6° versu 1° propheta, vidi, inquit,
dominum sedentem super solium Excelsum —

Et clenatum, sed ille dominus est verus deus et
simul filius. ergo. verbum 2o. gemina dicitur et
sanctus sanctus dominus exercituum, cuius
gloria omnis terra plena est. Est filius et
patet ex cap. 12o Joannis ubi hæc verba, excæca
cor populi huius, fuit esse tum dicta à propheta
quando vidit gloriam christi. hæc, inquit, dixit
Isaias quando vidit gloriam eius et locutus est,
Sed et idem sanctus Joannes Apocalypseos 4o.
dixit se audiuisse, sanctus sanctus deus omnipotens
qui est, qui erat, et qui venturus est, ubi
christus, qui scilicet venturus dicitur, ijdem
præconijs exprimitur, quibus verus deus Isaias
sexto.

2o Isaiæ 9o parvulus enim, inquit, propheta
natus est nobis, et factus est principatus
super humerum eius, et vocabitur nomen eius
admirabilis consiliarius, deus fortis, pater
futuri sæculi. Ubi de christo seu filio in
carne assumpta agitur. Jst autem, de quo ibi,
verus deus est, tum quia vox, deus, exprimit
hebraicum El, quod est summi dei proprium, et
ex eo probat sanctus hieronimus, quod deus
apud eundem propheta assumat idem vocabulum,
cum dixit, ego sum deus, et non est alius
præter me, tum quia quod deus est fortis,
quia pater futuri sæculi, sive, et fert hebraeum
Et vocabitur vertit pater æternitatis, nisi verus

deus. Nunc quidem, hebræi Codices, pro, vocabitur legunt, vocabit, quæ vox non puerum ipsum, sed deum patrem, deum fortem, et patrem æternitatis esse ostendit, sed septuaginta interpretes verterunt saliten, vocatur, Simmacus γλιτίσετεν vocabitur, quod communem lectionem retinendam esse demonstrat.

3.° Eiusdem prophetæ Cap. 40.° vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite in solitudine semitas dei nostri, sed ille idem dominus verus est deus. Exprimit etiam vocem geoua; Est etiam filius, est enim ille dominus ubi sanctus Joannes baptista viam paraturus erat, quippe qui est vox illa de qua propheta, ut interpretes sunt sanctus Mathæus Cap. 8.no sanctus Marcus Cap. 1.° sanctus Lucas Cap. 3.° et ipse baptista Joan. 1.° Nec non et Zacarias eius pater Lucæ 1.°, dum dicit, præibis enim ante faciem domini parare vias eius, Is autem est filius sive verbum Incarnatum, de quo verbis anteced entibus, Et verbum caro factum est, simile est quod habetur Malachiæ 1.° Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, ubi verus deus geoua loquitur, Angelus est Joannes baptista, ac proinde deus ille est filius, quæ est interpretatio sancti Marci Cap. 1.° ubi tamen inducit deum patrem loquentem, ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, Cum Malachias filium ipsum

loquentem inducxerit.
Alia cumulari possent veteris testamenti loca
quale iste Isaiæ 35.° deus ipse veniet et saluabit
nos, tunc aperientur oculi cæcorum, et aures
surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus
claudus, et soluta erit lingua mutorum: hæc
enim omnia solus patrabit christus, quale iste
baruth 3.° hic est deus noster et non æstimabitur
alius adeum. hic adinuenit omnem viam —
disciplinæ, et tradidit eam Jacob electo suo.
post hæc in terris visus est et cum hominibus
conversatus est, quale iste Zacaria 2.° lauda —
et lætare filia Sion, quia ego ecce venio et —
habitabo in medio tui dicit dominus, et applicabuntur
gentes multæ ad dominum in illa die, et erunt
mihi in populum, et habitabo in medio tui, et
scies quia dominus exercituum misit —
dominus exercituum, nisi fallimur, sed hæc non
ergo quia quæ primum attulimus efficacia —
sunt, nam et liber baruth á Judæis et hæreticis
non recipitur. neque repeto ea quæ a nobis
allata sunt ad probandam trinitatem, ex quibus
filii quoque diuinitas ostendi potest.

Argumenta Ex
Nouo Testamento.

Primo dicitur deus et dei filius Luca 1.°
inquit, angelus filiorum Israel conuertet (—
Joannes baptista) ad dominum deum ipsorum

et ipse praedet ante illum, scilicet dominum qui est christus In Spiritu et virtute Elia. Joan. 1° In principio erat verbum, et verbum erat apud — deum, et deus erat verbum. Joan. 2° dominus — meus inquit, (sanctus Thomas alloquens christum) et deus meus, quem actum christus approbat, quia vidisti me Thoma credidisti, Math. 16° tu es inquit, petrus, christus filius dei vivi, scilicet verus et naturalis. Joan. 19° nos legem habemus et secundum legem debet mori qui se filium dei fecit, ubi accusatur quod se filium dei naturalem fecisset, Non quod adoptivum tantum aut Metaphoricum, tum quod ipsi Judaei dicerent unum — patrem habemus deum, sed et diserte dicitur, — verus dei filius, proprius filius, singulariter filius, unigenitus. Prima Joan. 5° scimus — quoniam filius dei venit, et dedit — nobis sensum ut cognoscamus verum deum — et simus in vero filio eius. Roman. 8° qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Joan. 3° pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius et Cap. 1° deum nemo vidit unquam unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrabit. qua omnia — de adoptivo tantum et non naturali filio dici quis dicat.

3° dicitur quid unum cum patre Joan. 1°. ego et pater unum sumus, 2° Joan. 5° tres — sunt qui testimonium dant in coelo, pater, verbum et spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.

Arriani negant his locis exprimi naturarum
unitatem, magisquam isto actorum 4.° Credentium
erat cor unum et anima una, ubi agitur de sola
voluntatum unitate, vel isto qui potentiorem —
locum sequitur: Tres sunt qui testimonium
dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et
hi tres unum sunt scilicet ordine, ad testificandam
divinitatem christi, sicut ex eorum testimonio
dixit centurio Marci 15.° vere hic homo filius
dei erat.
Sed priorem locum de unitate naturæ sumendum
patet, tum quia christus postquam dixit, non
perent oves meæ in æternum et non rapiet
eas quisquam de manu mea, rationem affert, —
pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est,
nempe natura et potentia, et post et nemo potest
rapere de manu patris mei, ego et pater unum
sumus, quasi diceret, maximam habeo potentiam
a patre, et sicut de manu eius extor nihil potest
ita nec de mea, quia unum sumus scilicet —
natura et potentia, tum quia Judæi, hæc
audivisse, ego et pater unum sumus, sustulerunt
lapides et lapidarent eum, quod non fecissent, si
christus solam voluntatum unitatem expressisset,
nec quærenti Christo propter quod opus eum —
lapidarent, dixissent, quia tu homo cum sis,
facis teipsum deum, et christus nonnisi eos
decipi, negasset que se unum esse cum patre, eo
quo putabant sensu, quem tamen sensum confirmat
cum paulo post addit, Et si mihi non vultis —
credere operibus, credite ut cognoscatis et credatis

quia pater in me est, et ego in patre.
Neque posterior locus de unitate in natura intelligendus non est ob illud additum, tres sunt qui testimonium dant In terra nam ubi de personis agitur, In graeco legitur, Et hi tres unum sunt, και ουτος τρεισ τον ιτιν, Cum de Spiritu aqua et sanguine legat graecus et hi tres ad unum sunt, και τρεις εισ το τρεσιν Cyrus, hi tres in uno sunt, ubi quod Sanctus Aug. libri contra Maximinum Cap. 22° monet inter se differre, quando de pluribus dicitur unum sunt, Et quando additur quid unum, v. g. anima una, Cor unum, priorem modum arguere unam substantiam, non posteriorem, dicere quoque possumus aliud esse, tres esse in unum et tres esse ad unum; priore modo significabit unitatem naturae, posteriore non item, praeterea sanctus Joannes, testimonium trium personarum vocat testimonium dei, testimonium vero Spiritus aquae et sanguinis testimonium hominum, ac proinde non eo modo colligitur haec tria esse quid unum quo sunt tres personae.
Non dicam has particulas (et hi tres unum sunt) ab Arrianis appositas esse posteriori sententiae, quod suspicatur Sanctus Thomas opusculo 24° In 2am decretalem, ut scilicet vim loci prioris infringerent, Nam licet omittantur in quibusdam latinis codicibus, tamen eas ferunt correctiones sive absque sive cum particula In. Ex quo nec referendi sunt

qui priorem sententiam tres sunt qui testimonium dant In Coelo, Contendant quod in nonnullis codicibus graecis, et Cyro non legatur, Nam ea — legunt Biblia latina, et Correctiora graeca, Et legit sanctus athan. libro 1.° de Unica deitate Trinitatis, Caeteroquin, Usus graeco codice, Et notat sanctus hieronimus praefatione In — Epistolas Canonicas ab infidelibus puta — arrianis, e nonnullis codicibus abrasam fuisse.

2.° filius dicitur aequalis patri Joan. 5.° propterea quaerebant magis eum Judaei interficere quia non solum solvebat Sabbatum, Sed et — patrem suum dicebat deum, aequalem se — faciens deo. ad quem locum S.tus Aug. tradatu 17.° in Joannem, omnes dicimus deo, pater noster, qui es In Coelis legimus Et Judaei dixisse, Cuncta scis pater noster, ergo non hinc irascebantur quia patrem suum dicebat deum Sed quod longe alio modo quam homines. Ecce intelligunt Judaei, Non intelligunt Arriani. philipp. 2.° non rapinam arbitratus est se esse aequalem deo, Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, aequalitatem quoque indicant ea quibus dicit christus habere se — omnia cum patre Communia. Math. 11.° — omnia mihi tradita sunt a patre meo, Joan. 16.° omnia quaecunque habet pater mea sunt. Joan. 17.° Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.

quod expendens Sanctus Aug. libri 2i. contra Maximinum Cap. 14o., Nihil, inquit, pater meum habet, ille qui dicit omnia quæ habet pater mea sunt. æqualia est igitur.

1.o attributa dei propria tribuuntur filio, immortalitas, immutabilitas. Joan. 5.o hic est verus deus et vita æterna. hebr. 1.o tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. æternitas Joan 1.o In principio erat verbum, et verbum erat apud deum. hebr. 7.o Neque initium dierum, neque finem vitæ habens. hebr. 13.o Jesus christus heri et hodie et in sæcula. Immensitas. Math. 7.o Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Joan. 3.o nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, ubi loquitur, in terra, et tamen est in cœlo potentia. Et eiusdem potentia actus. Joan. 1.o omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod etiam ostendit eum factum non esse, nec proinde creaturam. hebr. 1.o adorent eum omnes angeli eius, ubi de adoratione latriæ sicut et illud psalmo 95.o adorate eum omnes angeli eius, unde sumpta sunt apostoli verba, de latria intelligendum est, cum præcesserit hic versus, confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui adorantur in simulachris suis.

2.o Alia multa ei tribuuntur quæ nisi in

Deum non Cadunt, Et quod in Eum Credendum
sit Joan. 3° qui Credit in eum non iudicatur,
qui autem non Credit iam iudicatus est, quia
non Credit in nomine Unigeniti filii Dei, quod
in eum Speremus ad Titum 2° Expectantes
beatam Spem et aduentum gloriæ magnæ —
Dei, Et Saluatoris nostri Jesu christi, quod ei
dilectio, qualis patri Conferenda sit. Joan. 14°
si quis diligit me, Sermonem meum seruabit,
et pater meus diliget eum, et ad eum Veniemus,
et apud eum mansionem faciemus. quod sit —
nostra felicitas Joan. 17° Hæc est autem
Vita æterna, Et Cognoscant te solum Verum
Deum, et quem misisti Jesum christum. 1°
Joan. 5° hic est Verus Deus, et Vita æterna,
quod Summam habeat æternitatem, Luc. 7°
remittuntur tibi peccata tua, Ex quo et —
Judæi murmurant, quis est hic qui etiam —
peccata dimittit. Matth. 9° audistis, quia —
dictum est antiquis &c. Ego autem dico —
Vobis; alia prope infinita istius generis
Omitto.

Afferri possunt Concilia ac præ cæteris
Nicænum primum trecentorum octodecim —
patrum, Cuius in Symbolo habetur quod sit —
Deus, quod Verus non factus, quod patri —
ὁμοούσιος Consubstantialis, quod æternus, quod
immortalis, et immutabilis. præmittunt —
huic Concilio duæ Synodi Alexandrina sub

Alexandro, Arriumque damnauerunt, quarum in posteriore, Osius pontificiæ legationis munere functus est, nempe in Ægyptum missus ad Arrianorum motus componendos, vniuersalia vero Concilia quæ sequuntur, ferè omnia Nyssenum symbolum expressè approbant, aut certè fidem recipiunt, quæ licet contemnantur ab Arrianis, tamen Catholicorum corroborandis animis singularem in modum inseruiunt. Nunc soluendæ obiectiones.

Obiectiones Ex Scriptura.

Obijciuntur hæc Scripturæ loca Joan. 17° Christus patrem alloquens, hæc est, inquit, vita æterna vt cognoscant te solum verum deum. vbi solus pater deus dicitur. Joan. 17°. pater maior me est. Math. 11° omnia mihi tradita sunt à patre.

Respondeo hæc et similia solui tribus regulis quas Sanctus Aug. tradit.

1ª habetur libri 3i. contra Maximinum Cap. 3°, et libri 1i. de Trin. Cap. 6°, quando attributum absolutum vni personæ, tali soli tribuitur, non excludi alias personas diuinas sed rem omnem extra deum, scilicet deos tantum qui falso dij dicuntur, vt loquitur Stus basilius libro 4° contra Eunomium in

fine, per han regulam solvitur locus Joan 17.°
nam et dum Math. 11.° habetur, nemo novit
patrem nisi filius, non excluditur pater,
neq. dum Eccles. 24.° sapientia increata,
gyrum, inquit, coeli circuivi, solo in omni
gente, in omni populo, primatum habui, neque
in hymno Angelico, tu solus sanctus, tu
solus dominus, tu solus altissime Jesu chr.
eodem modo solvitur illud 1.ae Corynth. 8.vo
nobis est unus deus pater, et unus dominus
Jesus christus, et similia.

Instas, christus negat se deum, nam Lucae
18.vo principi eum vocanti bonum, dicit, quid
me dicis bonum? nemo bonus nisi solus deus
ubi bonitatem ac proinde divinitatem a se
excludit. ergo.

Nego antecedens e contra se deum esse ostendit
cogit enim adolescentem a quo nondum deus
cognoscebatur ad cognoscendam suam divini
tatem, ac si diceret, tu me agnoscis bonum,
ergo et deum agnosce. Ita sanctus Aug.
libri 3.i contra Maximinum cap. 23.°, nemo
enim bonus scilicet simplici et absoluta
bonitate, ad cuius cogitationem illum evehit,
nisi solus deus, nam alias negare se non potuit
bonum, cum ens omne bonum sit, et se homine
maiorem innuit, dum asserens thesaurum esse
in coelo vendenti quae habet, et danti pauperibus,
veni, inquit, et sequere me, quasi ipse thesaurum

istum largiri debeat.

2a Est Cum christus constet natura diuina et humana, Ex attributis quæ illi conueniunt, quatenus est homo, non colligi quod non sit deus, sicut quod homo corpore et anima constat, cum dicatur corporeus, spiritalis esse non negatur. habetur hæc regula, libr. 1.i de trin. cap. 11.o 12.o et 13.o Et per eam explicatur locus Joan. 14.o pater enim filio maior est, sed cum humanitatem consideratio, et sic 1.a Coryuth. 15.o filius dicitur subiectus patri. Joan. 4.o adorat patrem, math. 26.o patrem orat. quin et hunc ad sensum nonnulli patres Et sanctus Cyrillus accipiunt illud Marci 13.o de die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius nisi pater. quanquam christo Et homini notum esse Judicij diem, et quomodo dicatur illum nescire alibi Explicabimus. Et eodem sumuntur sensu Ea quibus filius dicitur omnia habere a patre. Math. 12.o omnia mihi tradita sunt á patre. Joan. 13.o Scieus quia pater omnia dedit ei in manus, Joan. 5.o non potest filius a se facere quicquam, nisi quod patrem viderit facientem, quæ tamen iuxta 2am regulam explicari poterunt.

Ex eadem 2da regula Solumntur ista, prouerb. 8.vo dominus creauit me Et septuaginta legunt / in initio viarum suarum, antequam

quicquam faceret. Eccles. 24°. tunc dixit mihi Creator omnium, et qui Creauit me, requieuit in tabernaculo meo, ab Initio et ante saecula Creata sum. Joan. 1° Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, haec enim de humanitate intelligenda sunt, quae ab aeterno Creata dicitur, quia eius decreta Creatio, vt indicant ista, ab aeterno ordinata sum, non quin res aliae ordinatae sint, sed quia sic decreta fuit eius humanitas, vt christus etiam quatenus homo omnium Creaturarum Caput futurus esset.

Neque tamen negabo eadem loca (nisi forte excipias locum Eccles. 24°. ob ista verba, praecepit et dixit mihi, quae tamen vox, praecepit improprie, et pro decreuit, posset accipi) de christo, secundum id quod praecipuum habet, explicari posse, sed vox Creare, et facere idem erunt ac gignere, sicut vox gignere, vicissim vsurpatur pro facere. Deuteron. 32°. nam et haec prouerb. 8.uo nondum erant abyssi et ego iam Concepta eram, ante omnes Colles, ego parturiebar, generationem significant. Et Joan. 1°. vox, factus est, exprimit graecum, γέγονεν, quod significat quoque natus est, ne dicam vbi septuaginta legunt, Creauit me, legi vulgo possedit me, quod Cum hebraeo magis Consentit, vt Coniicere liceat apud 70 εκτησεν per n, lectum esse

Extrinseci per 1, possidere vero generationem respicit. genes. 4°. Eua possedi, inquit, hominem per deum. Ut etiam taceam illud Joan. 1°. Ante me factus est, idem esse ac mihi prælatus est, ut significet præcessionem dignitatis, non productionis. Explicat S.tus hilarius libro de synodis, quomodo sapientia dicatur Creata simul et genita, perfectæ, inquit, natiuitatis intelligentiam Creationis et generationis attulit sermo, Cum alterum sine demutaõne alterum in proprietate natura est. Ubi vult Creatam dici ut eius processio sine mutatione intelligatur, quoniam non mutatur qui Creat.

Dices In hoc loco Joan. 1°. omnia per ipsum facta sunt, particula, per, indicat filium esse instrumentum seu ministrum dei ut explicat Origenes, Et tamen ibi de filio agitur secundum quod præcipuum habet, ergo 2um se totum æterno patri subiectus est.

Nego antecedens. Neque enim particula, per, ibi magis significat instrumentum quam his locis, genes. 4°. possedi hominem per deum, prouerb. 8.vo per me reges regnant. ad galatas 4°. quod si filius hæres est per deum, significat itaque vel efficientem, vel exemplarem causam, vel etiam filium veluti medium esse inter patrem et Creaturas quia naturam, omnipotentiam, actionem omnem

a patre Communicatam habet, ut Sanctus Cyrillus explicat, quare futilis est observatio Actij Apud Sanctum Basilium libri de Spiritu Sancto Cap. 17º quod omnia dicerentur esse ex patre et per filium, 1ª Corynth. 8uo nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus dominus Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum. unde naturæ dissimilitudines colligebat. Nam Apostolus roman. 10 quoniam, inquit Ex ipso Et per ipsum et in ipso sunt omnia. quod de filio explicat S.tus Basilius Cap. 5º Etsi de patre accipiendum est, Ei perinde particulæ, Est et per, applicantur. Origenis interpretationem non moror, ut qui perperam de Trinitate Censerit, ut probat Sanctus hieron. Epistola ad Auitum. qua de re adhuc postea.

3ª regula est quoniam filius essentiam à patre Communicatam habet, ac proinde Scientiam voluntatem, potentiam et cætera attributa, de eo etiam quatenus deus est, recte dici quod nihil sciat nihil velit, nihil possit a seipso, sed tantum à patre. Id enim significat filium esse deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, ut habet Symbolum Nycoenum, non autem esse inæqualem patri. habetur hæc regula libri 2i de Trin. Cap. 1º Et per eam Soluitur locus Math. 17º Soluuntur et similia Math. 2º, Sedere autem ad

dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est á patre meo. Joan. 5.º non potest filius a se facere quidquam nisi quod viderit patrem facientem, et post non possum ego a me facere quidquam &c. nihil á se facit filius, inquit Sanctus Ambr. in psal. 118.num quia per unitatem operationis nec filius sine patre facit, nec sine filio pater. Et S.tus Aug. non alia, inquit, visio eius, et alia substantia, ne quis ex particulis, nisi quod viderit &c. — inæqualitatem interat.

Obiectiones Ex Concilijs

Obijciuntur duo Concilia Syrmiense quod in 2.a fidei formula decernit, ne fiat ulla mentio harum vocum, ὅσια, ὁμοούσιος ὁμοούσιος, quod scilicet de his nihil sit — scriptum in sacris litteris, et quod illa hominum intellectum et mentem transcendant, nemoque possit filij generationem enarrare; Ariminense quod idem præstitit, ut constat Ex scripto — Nygdonij, Megasij, Valentis et aliorum Episcoporum ad Constantium Augustum, ergo filius patri consubstantialis non est.

Nego Conseq. Nam ista Concilia approbata non sunt.

Concilium Syrmiense sive unum, sive multiplex (multi enim conuentus, iique non breui temporis spatio interrupti, — Syrmij habiti sunt) Ex nutu Constantij imperatoris arrianorum fautoris ex arriani Episcopis coactum est.

Triplicem edidit fidei formulam. 1am contra Photinum, Syrmiensem Episcopum, contra quem arriani Syrmium conuenerunt anno 351o. Et constat ex Socrate libri 2i. cap. 29o. Et Sozomeno libri 4i. cap. 5.o Vbi designant annum post consulatum Sergij Et Nigriani, quo anno propter belli tumultus nulli consules fuerint. Edita est ad damnandum Photinum, negantem filium dei ante Secula generatum esse. Arriani in eo damnando Catholicum nomen affectantibus, — scribentibus quidem de deo deum, lumen de lumine et anathema dicentibus affirmanti ex non existentibus aut ex altera hypostasi esse — verbum aut tempus fuisse cum non esset, — tamen consubstantiali nomen veteratorie omittentibus. 2am edita anno 357o. — cum Imperator Syrmium venisset, Et eo — conuenissent Vrsatius Et Valens, aliique — arriani Episcopi, In qua cautum est ne — qua mentio fieret οὐσίας ὁμοίου Et ὁμοουσίου imo Et definitum patrem maiorem esse —

filium subiectum. 3am Editam anno 359o. Eusebio et Hypatio Consulibus. Non Arimini ut fert inscriptio. Neque enim Constantius coram quo dicitur Edita interfuit Ariminensi Concilio, sed Syrmij, in qua definitur quidem filium esse deum de deo, similem ei qui se genuit, similem patri per omnia, sed statuitur ut omittatur substantiæ nomen, quia simplicius à patribus est positum, et ignotum vulgo offensionem habet. Edita vero videtur a basilio Ancyrano, Valente, Ursatio, et alijs semiarianis et Arrianis, antequam coperetur Concilium Seleuciæ et Arimini, ut in unum aliquod fidei decretum universi convenirent, Eadem postea in Ariminensi synodo reiecta est.

harum formularum secundæ magno Ecclesiæ luctu et damno subscripsit Osius Cordubensis Episcopus ut scribunt Socrates, libri 2i. Cap. 26o. et Sozomenus Cap. 5o. Citato, scilicet verberibus tormentisque compulsus. Ideo sanctus hilarius eam vocavit blasphæmiam per Osium et Potamium conscriptam, quod ei ab Osio subscriptum sit. Quanquam hæc forte sub nomine Osij ab Arrianis vulgata est. sicut et ab eo expressa alia in qua filius dicebatur dissimilis substantiæ, qui tamen Osius

Subscripsit Athanasij damnationi, Et mori turus Contestatus est sibi vim illatam ab Arrianis, Eorumque execratus est hæresim, ut patet Ex Athanasio ipso, Epistola ad Solitarios.

Eidem vero formulæ non Subscripsit Liberius summus pontifex, Nam Sozomenus libri 4.i Cap. 14.o refert eum Exhibuisse formulam quæ ijs qui filium patri non Substantia, et Cæteris omnibus rebus similem assererent, interdixit Ecclesia, sicque si tacuit ὁμόσιον, saltem ὁμόσουσιον, quod tamen in 2.a formula respuitur quam et reijcit Constantius, quo premente subscripsit liberius. quanquam non defuerunt Arrianæ sectæ fautores, qui liberium ὁμόσιον ~~dixisse~~ reiecisse, Et filium patri dissimilem dixisse, rumorem sparserint. Ideo placet aliquibus ab Eo subscriptum esse formulæ primæ, quam licet ὁμόσιον taceat, volunt ortodoxam esse. Et bene quidem si quod Canone 3.o Et 27.o dicitur filius obsecutus patri, eique ministrasse in omnium rerum fabrica, quæque Canone 17.o dicitur patri subiectus fuisse. eo sensu interpretemur quo Sanctus hilarius, quia scilicet filius est a patre. Et subiectio nominis, proprietatem naturalis, atque indifferentis testatur essentiæ, quem ad sensum tantum, alij patres

Eam dixere Catholicam, ut Vigilius Episcopus Tridentinus adversus Eutychetem libro 5.º, eo forte propensior ad eam excusandam, quod photini blasphoemias damnasset.

Quod tamen idem Sozomenus citato cap. 14.º fidei decreta contra paulum Samosatenum et photinum facta, et formulam in Anthiochia consecratione editam congesta esse unum in libellum scribit, qui subscribendus liberio cum Episcopis Arrianis sive Anomeis, sive semiarianis et homoconcijs constantio ita iubente datus sit, libello huic, non primae Syrmiensi formulae videtur subscripsisse liberius.

Quidquid sit constat nullius authoritatis esse formulam 2am Concilij Syrmiensis cuius et Episcopos a quibus conscripta erat poenituit et constantium ipsum, qui eum quod pugnantia complecteretur, faueretque nimium Anomeis a quibus abhorrebat, supprimi voluit, ne dicam reliquas, atque adeo primam ipsam, quod in ea consubstantialis nomen esset omissum, non placuisse sancto Athanasio, nec placere potuisse Catholicis, ut qui liberij factum non modo quod Athanasij damnationi subscripsisset sed et quod subscripsisset formulae in qua tacebatur ὁμοίσιον improbauerint. Certe totum illud Concilium

reprobatum esse docet baronius ad Annum 357.um nec resistit bellarminus, qui licet libro 1°. de Concilijs Cap. 7°. solum dicat illud Ex parte reprobatum esse. tamen libro 1° de christo Cap. 9° scribit se nescire quam authoritatem habeat Concilium istud, quod toleratum potius quam approbatum fuerit, Et á gratiano distinct. 16.a Et 20.a inter Concilia Catholica numeratum non sit.

Concilium Ariminense duplex fuit, unum legitimum, alterum spurium, utrumque habitum anno 359°. Eusebio Et hypatio Consulibus. Prius ex quadringentis Episcopis occidentalibus (Cum Orientales Seleuciam Conuenissent, partem maximam Ortodoxis, Cum Arriani solum 50.ta vel 80.ta Interessent, quo pacto Explausit 3.am Syrmiensem, Nycoenam fidem stabiliuit, Ursatium Et Valentinum, Arrianorum praecipuos, aliosque damnauit. Posterius non tam Arimini quam alibi ab Arrianis, habitum tamen Ariminense nominatum, ad obolendum prius vel obscurandum formulam Edidit, quae Arimini Episcopis ibi detentis de Constantij Jussu, Et Adrianopoli patrum Ariminensium legatis subscribenda data est, In qua Consubstantialitatis abdicatum est nomen; Istius formulae nulla est authoritas

licet ei Subscripserint Episcopi Catholici magno
numero, et vel eam ob rem Sanctus Hieron.
dialogo contra Luciferianos dicat totum fere
orbem arrianum se esse miratum, tunc —
vere ingemuisse, tamen id nonnisi tædio ac
moerore, et tormentorum metu victi fecerunt,
Et Liberius ei subscribere recusavit, cum —
alijs octodecim Episcopis, Et qui subscripserant,
Episcopi Catholici sui se pœnitere facti —
meliorem ad mentem denuo redundi, et loquitur
Theodoretus libri 2i. Cap. 22o testati fuerint.
Ideo Sanctus Athanas. Epistola ad Asiticanos,
quis non, inquit, odio habeat illos, qui, quæ —
patrum sunt, Statuta Concilij Arimenensis,
abrogant, recentiora vero Arimini (id est quæ
tribuuntur posteriori Concilio arimenensi) per
vim Et metum et extorta anteponunt, Et
Sanctus Ambrosius Epistola 2a ad Valentinianum, dicit se Concilium Arimenense abhorrere
scilicet ob illud posterius, si quidquid Arimini
gestum erat improbans, Sicut Sanctus Aug.
reijcit Sardiense Concilium, quod prater illegitimum, aliud legitimum esse non adverteret.
Cæterum quia vox ὁμοούσιος Sive Consubstantialis
veluti Symbolum Et Tessera fuit Catholicæ de
verbi divinitate sentientium. Circa eam duo
observanda sunt.

Primum est aliquando reprobatum esse á Catholicis nomen istud, Nam Anthiochena Synodus 2da de qua Sanctus Athanasius libro de Synodis Ariminensi et Seleuciensi, vocem illam vsurpari vetuit. Nempe ad Pauli Samosateni sensum, qui, vt tradit Sanctus hilarius libro de Synodis, per hanc vnius essentiæ Nuncupationem, solitarium, atque vnicum sibi esse patrem et filium, (id est vnicam esse personam) prædicabat, vel etiam ad eum sensum qui tres inferret substantias, vnam primariam, duas ex ea deriuatas, sicut æs et Numismata ex ære cusa consubstantialia sunt, quo sensu vocem illam in Concilio Anthiocheno damnatam tradit Sanctus basilius Epistola 300a. Nec negat Stus Athan. citato libro, quando quidem paulum Samosatenum asserentem Christum non extitisse ab æterno, sed deum esse ex homine factum, hoc argumento vsum docet, quod nisi ita esset, consequens foret illum esse patri consubstantialem, adeoque tres esse substantias, vnam primariam, duas ex illa deriuatas, quod vitantes Anthiocheni patres dixere, Christum non esse consubstantialem.

Quum est, sapientissimé tamen vsurpatum esse nomen idem a Nycænis patribus ad significandum vnam esse patris filiique substantiam 1o quia iam antea bonum in sensum acceptum fuerat scilicet a dyonisio Alexandrino in Epla

Ad Dyonisium papam, Et in Epistola ad paulum Samosatenum, ubi Consubstantialem dici filium patri ab Antiquis dyonisius asserit. 2º quia non ita determinatum erat ad deteriorem sensum quin Et optimum recipere posset, ut indicat S.tus hilarius Citato libro de Synodis, sub finem, ubi male, inquit, intelligitur ὁμοούσιον Samosatenus Confessus Est, sed nunquid Melius arriani negauerunt, octoginta Episcopi olim respuerunt. Sed trecenti et decem et octo nuper receperunt. 3º quia reipsa usus illius valde opportunus fuit Catholicæ professioni. Cum enim Arriani authore Eusebio Nicomediensi ut refert Theodoretus libri primi historiæ Cap. 8.uo Ex S.ti Athan. Epistola ad Aphros, Non vererentur subscribere huic propositioni filium Ex deo, Et mox isti, filium Ex patris Essentia Esse. atque etiam his filium Esse virtutem Et sapientiam dei, æternam et perfectam patris imaginem, et deum verum, quoniam, inquiebant, omnia Ex deo sunt, et nos dei gloria Et imago sumus, Et deus dicitur susceptor noster, Et qui factus est, verus est, ideo Catholici quidquid erat, quo poterat Exprimi syncera fides, in hanc Constrinxerunt formulam, filium patri Consubstantialem esse, Et hac una voce duos errores Confoderunt; Sabellianorum; quia qui Consubstantialis Est, distinguitur, sicut qui similis ab Eo Cui similis est. Arrianorum quia filium patri Consubstantialem esse, est

patris Et filij unam esse substantiam, unam naturam, proinde inquit S.tus Basil. Citata Epistola Zoo.a recte ac religiose admodum usurpatur, Cum Et hypostaseon proprietatem discernat et naturæ sine ulla diuersitate Communionem exprimat. atque adeo nihil non Conati sunt Arriani quo Eam supprimerent, Nam ut taceam Catholicos ab Eis per ludibrium vocatos Esse homoucianos, sicut hæretici recte sentientibus imponere solent nomina ad Conuitium. dicebant in primis Eam in Scriptura non legi, sed hoc inepte tum quia usurpabant ipsi voces quæ non extant in Scripturis, puta filium Ex non Extantibus Esse, fuisse quando non erat, quod urget Sanctus Athanasius apud Theodoretum Citato loco, tum quia vox illa potuit induci a patribus, ad id significandum quod sacræ Scripturæ alijs vocibus, idque prolixius docent. liceat, inquit Marius Victorinus libro 2o aduersus Arrium de lectis non lecta Componere; præterea vocem illam obscurarunt varijs Explicationibus quia Cum non Cadant in filium, Eum quoque patri Consubstantialem negarunt. Nam ut refert Socrates libri 1i. Cap. 5o. Consubstantiale affirmarunt Esse, quod Est Ex aliqua re ortum vel partitione, ut duo aut tria ramenta auri; Ex Massa aurea, vel derivatione, ut liberi Ex

parentibus, vel productione ut germen ex radicibus, qui triplex sensus quia significat desectionem aliquam substantiæ á principio producente in filij productionem non cadit, denique cum veram eiusdem vocis mentionem dissimulare non potuerunt, eam reiecerunt prorsus ut id pergerent negare, quod significat, nam id quod est aliud inquit sanctus ambros. libri 3.i de fide cap. 7.o Cur ὁμοῦσιον patri filium nolint dicere, nisi quia nolunt verum dei filium confiteri? sicut author ipsorum Eusebius Nicomediensis Epistola sua prodidit dicens, si verum, inquit, dei filium et increatum dicimus ὁμοῦσιον cum patre incipimus confiteri. Ubi observat sanctus Ambr. ideo in tractatu seu professione fidei scriptam esse hanc vocem a Nycoenis patribus, quod adversarijs formidini esset et tanquam evaginato gladio perversæ hæresis caput amputaret, et certe qui postea ab isto nomine vel obscuritatis prætextu vel ad concordiam censuerunt abstinendum, si vel hæreseos fautores, vel certé dubiæ fidei habiti sint apud orthodoxos, ne parsit sanctus ~~aug.~~ hilarius libro de synodis osio seni, quod de hac voce tacendum existimasset.

Obiectiones Ex patribus.

Obijciuntur hi patres. 1° Sanctus Ignatius martyr Epistola ad Tarcenses, ubi hæc habet, quia (christus) non est ipse ille qui est super omnia deus, sed filius ipsius, Et Epistola ad Ephæs. medicus autem noster est solus deus ingenitus, Et Inuisibilis dominus omnium, unigeniti pater et genitor solus. 2° Justinus martyr dialogo cum Triphone ubi dicit quod iste (scilicet filius) qui à patriarchis est conspectus, deus et angelus et dns appellatur, ut vel ex his intelligatis inquit ipsum universorum parenti ministrasse. 3° Athenagoras philosophus Atheniensis in Apologia pro christianis pagina 10ª progeniem non quasi factum sit a principio, quippe deus est æterna mens, habebat in seipso λόγον id est rationem, cum æternum sit rationalis sed ita ut cum materia concreta omnia informisque natura atque terra instar vehiculi subijciantur, in Eisque, ~~actus illorum esset, prodierit~~, Crassiora leuioribus admixta sint, ad hoc ut Idea et actus illorum esset, prodierit.

4° Latianus Assyrius Justini martyris discipulus

oratione contra graecos hec habet, voluntate
porro simplicitatis ipsius, λόγος id est
verbum erupit, qui quidem non in vacuum ema
nans, primigenium patris opus fuit. 5°
clemens Alexandrinus libri 7. Stromatum
non procul a principio ita scribit, perfectissima
autem et sanctissima maximeque principalis
et maxime imperans, at beneficentissima
est natura filii, qua soli omnipotenti
propinquissima est, ubi hoc, propinquissima
virtutem naturam indicat. 6° Tertull.
libri contra hermogenem cap. 3°. quia
inquit et pater deus est et Judex dein est,
non tamen ideo pater est index semper, quia
deus semper, nam nec pater potuit esse ante
filium, nec Judex ante delictum, fuit
autem tempus cum delictum et filius
non fuit, ubi indicat filium patri coeter
num non esse, idem tradere videtur libri
contra praxeam cap. 5° Et 7°. ubi sermo
seu verbum prolatum dicitur cum voluit
deus ea qua cum sophia ratione et sermone
disposuerat intra se in substantiam et speciem
edere scilicet in creatione mundi, Et cap. 14°
patrem invisibilem facit, filium visibilem
hunc radio, illum soli comparando.
Respondeo. contigisse patribus in

hoc Explicando mysterio, quod in aliis argumentis ad fidem spectantibus et cum haretici nulli instarent, non adeo caute erudum loquerentur, ne dicam initio Synodum quidem sensum fuisse, non ita castigatas in omnibus fuisse voces qua sensum exprimerant; Interea nec deesse apud Eos quod veritatem Catholicam astruat, Et nihil aut vix quisquam inveniri quod mitiorem in partem explicari non possit, nam et de mox allatis loquar.

1° Sanctus Ignatius filii Divinitatem agnoscit, cum inquit est medicus carnem et Spiritalis genitus Ex ingenito in homine deus, Item dominus noster Jesus christus in Maria utero gestatus est secundum dei dispensationem, qua refert Theodoretus Ex Sancto Ignatio in Epistola ad Eph. non ergo negat in Epistola ad Tarenses filium Esse deum, qui Est super omnia, et deum esse neget, sed tantum Et designet eum distingui a patre qui dicitur deus super omnia cum filius dicatur per quem omnia, Juxta illud 1ª Corynth. 8ᵛᵒ Unus deus pater Ex quo omnia, Et unus dominus Jesus Christus per quem omnia, In Epistola vero ad Ephesios medicum Esse vult patrem, qui sit quidem solus

verus deus, ingenitus, quibus attributis designat solum patrem, sicut his consequentibus solum designat filium, habemus etiam filium dominum nostrum Jesum christum ante saecula unigenitum et verbum.

2° sanctus Justinus martyr dicit filium patri ministrasse vel improprie, quia per acceptam a patre potentiam, patri cooperatus est, vel ratione humanae formae, in qua Abrahae alijsque ut censuit Justinus, apparuit, et sub qua patris voluntati ministrauit, de quo sub illa forma considerato dicit Justinus quod non sit ille deus qui sit author, et parens uniuersi, quem tamen in propria forma deum esse non negaret, quippe qui citato dialogo applicat Christo illud psalmi 46! ascendit deus in Jubilo, dicitque eum ante Luciferum et Lunam fuisse, quod autem aliqui volunt Justinum sensisse quod filius sit minor, quoniam vult de eo dictum illud genes. 19°. dominus pluit sulphur et ignem a domino de coelo, nec dici potuisse de patre quoniam coelum relinquere debuisset, nimium probat, probat enim deum patrem minorem quoque fore, hoc est non immensum, et qui non fuisset in coelo si pluisset super Sodomam et gomorrham, Itaque hoc negat

dici de patre Et bult de filio dici, quia sicut omnipotentia tribuitur patri, sic Ei quoque appropriatur quod sit in Coelo, maxime Cum non mittatur, Et mittantur aliæ personæ, quæ Causa Est Cur patri quoque ab Eo tribuatur invisibilitas.

Quod ~~[illegible]~~ iustinum interpretati sumus de filio in humana forma, Eodem modo Explicandus Theophilus anthiochenus Episcopus libro 2° ad Otolicum dum ait, verbum Cum sit deus Et ortum habeat Ex deo, quandoque bult pater Universorum mittit ipsam quemlibet ad locum, Eoque veniens auditur ac videtur ab illo missum antiquis patribus (Contra quos S.tus Aug. et Sanctus Ambrosius sentiunt) hæc insederat opinio, filium Cæteroqui genitum ab Æterno, Et quem ut loquitur Theophilus intimum pater in visceribus habebat, Cur enim hoc de mente patris ut quibusdam placet Et non de persona filii qui est in patre, intelligendum est, Externis apparuisse in forma sensibili Et in Ea forma ministrasse patri in Externis effectis producendis, quem Et ideo prolatitium sermonem Theophilus vocat, Et primogenitum omnis Creaturæ, sicque per filium fabricata Esse omnia, ipsum sub dei persona venisse in paradisum et Cum Adamo Collocutum

esse.
porrho si mitius haberi possunt antiquiores patres, minus castigate loquentes, ij tamen qui postquam Arrianismus invaluit, similes usurparunt loquendi formulas, ferendi non fuerunt. Ideo sanctus greg. Nyssenus libro 1o contra Eunomium, queritur ab Arrianis patrem dici supremum conditorem, ac dei inferioris et subiecti opificem, neque priores eiusdem erroris cuius posteriores scriptores argui debent.

Nam qui Justino et alijs antiquis impingunt Arrianismum, fatentur eos non ita clare de hoc mysterio scripsisse, imo Justino vel ob hoc unum adimunt εκτατιμ sive expositionem quæ præfert illius nomen, quod distinctius de Trinit. disserat, quod his vocibus utatur, ingenitum, genitum, et procedens, ijsque significari dicat non essentiam, sed existentiæ modos, sive subsistentias, quidni ergo minus cautos, quibus usi sunt, loquendi modos, meliorem in partem interpretati sunt.

3o. Athenagoras citatis verbis non obscure filium æternum, adeoque deum esse agnoscit cum dicit verbum primigeniam esse patris sobolem, non quasi factum sit, cum deus a principio in se horor haberet, paulo ante

scripserat ob ipso Et per ipsum facta Esse omnia, Cum pater Et filius unum sint, adeo ut filius sit in patre, Et pater in filio per unionem ubi unionem pro unitate sumit, sicut Et sequenti pagina, ubi habet deum patrem prædicamus Et deum filium Et spiritum sanctum, Ita ut Et unionis Eorum vim, Et ordinis distinctionem Exponamus, quis enim putet ab Eo tres admitti deos, aut unum quidem sed absque unitate, Nam Et pagina 12ª promiscué scribitur unitas Et unio, ut quænam, inquit, filij ad patrem sit unitas, intelligamus, quid pater Cum filio Communicet, quid sit spiritus, quæ unio triumque discretio.

Quomodo ergo dicitur prodijsse filius ut Esset Idea et actus informis naturæ ac terræ. 1º hoc sensu quod in æterna generatione prodijt qui esset Exemplar formarum producendarum in naturis informibus, ut sic dicatur actus rerum effectiué Et Exemplariter non formaliter. 2º isto sensu quod in Creatione prodierit per ipsas rerum formas quæ non sint verbum sed ipsius repræsentatio, Eiusque nomine dicantur sicut Conceptus artificis dicitur Esse in opificio, Utrum autem Athenagoras materiam velit Creatam ante formas, sive ab æterno ut platoni placuit, sive in tempore, ut Tatiano Et alijs videtur, an sic filium vocet ideam Et actum rerum

informium, et illi quia prima quadam forma Est, primumque Exemplar non materiæ sed formarum productionem attribuat, — Expendere super sedeo.

1° Tatianus non tacet verbum æternum esse, nam verbis antecedentibus, cum ipso, inquit, per rationalem vim λόγος ipse qui in illo erat, scilicet ante omnem productionem ad Extra produxit, Et post, Verbum, inquit, é patria potentia progressum, non reliquit genitorem Verbi Expertem, quod cur de verbi personâ non sit intelligendum, sed paterna solummente non video, Cum in deo nihil tutius verbum dicatur quam persona verbi. Itaq. verbum dupliciter dici potest opus primigenium dei. 1° ratione mundi producti, qui Est velut Externum verbum. Juxta illud Sti Aug. tractatu 24°. In Joannem, quia Christus verbum dei Est, etiam factum Verbi factum nobis Est. 2° Et melius ratione alicuius formæ sensibilis, de qua Justinum et Theophilum interpretati sumus, hoc, inquam melius dicitur, nam Verbum illud distinctum Esse a mundo, Ex eo constat quod Tatianus non tantum illud Ecce opus, sed primigenium opus Spiritus dei, Et per verbum, ut principio genitum velit mundum, Et nos vicissim gentis

Esse, Cum sibimet materiam produxisset quam interea dicit non ab alio quam ab uno omnium Architecto productam, ut vel Ex Eo verbum Tatiano deum Esse manifestum sit.

5.° Clemens Alexandrinus naturam filij soli omnipotenti, id Est patri vocat propinquissimam, non quod distinctam supponat, sed quod eandem, vox Enim περιέστατι significat naturam Coniunctissimam; quid autem Comelius quam quod idem Est. Nam verbis subsequentibus Ei tribuit Inexhaustam potestatem, Esse ubique, Esse totam mentem, totam lucem paternam, totum oculum, omnia videre, &c. Et clarius alibi Eum agnoscit deum, ut pro tritico Eum re vera nominat deum aequalem universorum domino, Et libri 1.i pedagogi Cap. 8.no ubi unum, quippe inquit, sunt ambo pater Et filius, nempe deus, dixit Enim In principio Erat verbum, Et Verbum erat apud deum, Et deus erat Verbum, Et libri 3.i Cap. ultimo unum vocat patrem Et filium Et Spiritum S.tum

6.° Tertullianus Capite 3.° libri Contra hermogenem negat deum fuisse patrem ab aeterno paternitate Essentiali quae respicit

productionem Creaturarum, Estque tribus personis Communis, non notionali quæ Est ad filium, Et unius 1.æ personæ propria Est. Libri vero Contra praxeam Cap. 5.º vult tantum proditum verbum, Cum in substantiam Et species suas Edere Creaturas Coepit, sed productum sub forma sensibili, per quam Etiam intelligit sonum, tunc Etiam, inquit, Cap. 7.º Ipse sermo, (verbum) speciem Et ornatum suum sumit sonum Et vocem, Cum dicit, deus fiat lux, quæ Causa Est Cur Cap. 14.º filium visibilem Et radio similem faciat, Nam Citato Cap. 5.º ante relata in obiectione verba, filium patri Coæternum Agnoscit, ante omnia, inquit, deus erat solus ipse sibi Et mundus Et locus Et omnia. solus autem quia nihil aliud Extrinsecum præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus habebat enim secum quam habebat in sem et ipso rationem suam scilicet &c. hanc rationem græci dicunt Λογον, quo vocabulo, Etiam sermonem appellamus, Et post, nam Etsi deus nundum sermonem suum miserat proinde Eum Cum ipsa Et in ipsa ratione intra semetipsum habebat.

Ubi Tertull. sermonem ponit in patre — ante omnia, antequam sermo seu verbum

mittatur, ac proinde æternum facit, ponit
Etiam à patre distinctum, quia Ex Eo Contra
praxeam probat patrem Solitarium non Esse
Et Cap. 7º hæc Est inquit, nativitas perfecta,
(tum Intus tum Extus) Sermonis dum Ex
Eo procedit Conditus primum ad Cogitatum in
nomine Sophiæ dominus Condidit me Initium
viarum Suarum, de hinc generatus ad Effectum
Cum pararet Coelum, aderam illi Simul. Ubi
Tertull. duplicem facit Verbi productionem —
unam æternam, alteram temporaneam, Et
hanc quidem Cum initio mundi in forma sens
ibus verbum apparuit. hic omitto quod Citati
libri Cap. 2º docet patrem Et filium Et
Spiritum Sanctum unius Esse Substantiæ,
et unius status, Et unius potestatis, quod
Cap. 4º filium non aliunde deducere se, sed
de Substantia patris qua Substantialitatem
ostendunt, ac proinde Cum Citati libri Cap. 7º
dicit patrem Esse totam Substantiam, filium
vero derivationem totius Et portionem sicut ipse
profitetur, quia pater maior me Est, non Accu
raté sed liberiore, ut In aliis Solet vocabulo,
derivationem Et portionem filium vocet, quia
Communicatam à patre naturam habet, Et
impetu quodam audacioris styli Eo feratur, ut
scripturæ locum qui filium patre minorem —
scilicet secundum humanitatem ostendit —

vsurpet ad ostendendum quod solus pater sit fons et principium diuinitatis, vbi Interea agnoscit vnam naturam dum dicit alium esse filium á patre, non diuersitate sed distinctione non diuisione sed distributione.

Alij patres opponi poterant, sed et qui minorem patre filium faciant, vel quoad modum loquendi tantum, quod filius á patre suum esse acceperit, vel quoad formam sensibilem quod induerit formam soni aut hominis, quomodo sanctus Ireneus libri 4.i Cap. 17.o vult filium ministrare patri et Cap. 11.o dicit deum ad omnia minorasse progeniem suam, quod autem libri 2.i Cap. 3.o et libri 4.i Cap. 20 dicitur filius agnoscere in patrem eum qui ~~creaua~~ fecit coelum et terram, et quem lex annunciat, excludit tantum Ireneus alium patrem ab eo qui creauit coelum et terram, quem vocabant bythum ex libri 3.i Cap. 11.o non dicit eum esse filij patrem sub ea ratione qua creauit coelum et terram, aut lex eum annuntiat, quomodo non in prima tantum sed in tribus personis subsistit.

Origenem nihil moramur quem sanctus hieronimus citata Epistola ad Auitum, et s.tus Epiphanius Epistola ad ~~Auitum~~ Joannem hieros olimitanum, Arrij patrem vocabant, quem et

multorum errorum damnat Concilium 5.um Oecumenicum. multos quidem errores Circa Trinitatem e libris περιαρχον Expunxit Ruphinus, qui neque nunc in origene leguntur. Sed hoc Est quod queritur Sanctus hieronymus Citata Epistola, qui Et tradit origenem asseruisse Dei filium non natum Esse sed factum, Et his Similia, Et alijs libris manifestè prodit errorem Suum, ut dum Thomo 1.o In Joan. dicit vitam in verbo factam Esse, dum Thomo 1.o In Joannem dicit vitam in verbo factam Esse, ut dum Thomo 2.o Circa initium nomen ὁ θεος De Solo patre vult dictum, in Scripturis, dici vero nomen Idem de filio Exemplo articulo, Sicut et de Coeteris qui dij per participationem nominantur, quanquam nec deest ubi Syncera Sparserit, ut homilia 6.a in Exodum, ubi nullus, inquit, sine initio Et fine, nullus Creator omnium, nisi pater Cum filio Et Spiritu Sancto, ut præfationes ad Tractatum In Euangelium Joannis, ubi dicit verbum Cum patre Universorum verbum Esse.

Obiectiones Ex ratione.

Obijcitur 1.o filius æternus non Est, ergo

nec deus.

Antecedens probatur. Ille æternus non est qui habet aliquid se prius. Sed filius habet patrem se priorem, hic enim generans est, ille genitus. Sed generans genito prior est, ergo.

Nego antecedens. ad probationem, distingo maiorem. qui habet aliquid se prius tempore Concedo origine, nego. at pater quidem filio prior est origine, quia principium est, non tamen tempore. sic splendor solis non tempore sed origine posterior est sole, nam contingit effectum sua causa posteriorem esse tempore, vel quia causa libera est, ut homo, vel quia licet necessaria non habet totam suam perfectionem ad agendum, ut arbor recens plantata ad germinandum, vel quia successiuè operari postulat siue ob contrarium debellandum, siue ob aliam rationem, sicut ignis successiuè calefacit, nam quia motus incipit per sui non esse prius aliquo temporis instanti est mouens quam motus, ac proinde quam res producta per motum; at deus filium producit, necessario omnem suam perfectionem ad eum producendum habet, et actione instantanea eum producit.

Instas, Prioritas originis supponit

dependentiam in eo quod origine posterius Est, ergo ab Eo tollit aeternitatem. Nam aeternitas Est interminabilis vitae tota simul Et perfecta possessio, perfecta vero possessio Est rei, quae sicut desinere non potest, ita suum Esse habet á seipsa.

Distingo antecedens. Supponit dependentiam si naturam productam habeat, Concedo, si communicatam solum nego, Nam dependentia dicit nãa distinctionem, cum dependentia sit a causa, Et causa Esse nisi in aliud, sive in rem cuius sit natura distincta, non influat. at communicaõ naturae distinctionem naturae non infert. Quare cum filius naturam á patre non productam habeat, sed communicatam solum, nullam á patre dependentiam habet.

Nec refert quod filius sit persona á patre distincta; Nam persona distinctiõ non sufficit ad dependentiam, quando una est natura distinctarum personarum, Et persona in natura realiter identificantur, cum sicut unum á seipso, ita quae sunt quid idem â se invicem non dependeant, at persona filii cum persona patris in una nãa identificatur, sed nequidem filiatio penderet á paternitate, praecise Et hae et illa relationes sunt, quamuis non considerarentur sub ea ratione, qua identificantur in natura, quia relata simul

natura sunt, quæ vero simul natura, mutuam quidem Exigentiam, sed nullam á se invicem secundum quam unum prius, alterum posterius natura sit, dependentiam habent.

Quoniam autem id quod origine posterius Est si Eandem habet naturam, dependentiam non habet, neque Etiam dici potest habere Contingentiam, vel imperfectionem vllam. quare nihil nocet perfectioni filii quod dicitur beatius Esse dare quam accipere, Actorum 20, Id enim dictum Est á — christo de donatione morali, Etsi Extendi potest ad donationem Naturalem Et necessariam, Non tamen ad Eam per quam accipitur Eadem numero natura Et in qua dans Et accipiens se se æqualiter exigunt.

Instad iterum. saltem deerit filio quod sit a se, ergo Et quod sit deus, Nam deus Est primum Ens á quo omnia, Et quod ab alio non Est, adeoque si filius non sit á se, sed ab alio deus non erit.

distingo antecedens. filius non erit á se secundum personalitatem Concedo, secundum naturam distingo, Et Communicatam Concedo, secundum se Consideratam nego. Et nego Consequens. nam Et persona sit deus, satis Est quod habeat naturam quæ secundum se Considerata sit á se, non Est necesse Et sub omni ratione, Eadem ñaa

a se Existat, aut sit quid primum, Etenim intellectus dei deus est sicut Et voluntas, Et tamen intellectus, voluntas, Et omnipotentia omni ratione non sunt á se. Nec quid primum cum possint Intelligi, vt attributa Et proprietates Essentiæ, ac proinde ab Ea Esse, et illum ordinem seruent inter se, vt intellectus voluntatem, voluntas omnipotentiam secundum nostrum intelligendi modum antecedat.

Obijcitur 2° vel filius genitus est á patre iam Existens, vel non Existens, prius dici non potest, quia quod Existit non generatur si vero prius, ergo fuit cum non esset filius, nec proinde non Est æternus nec deus.

Respondeo cum S^to Epiphanio hæresi 69ª Et Sancto Basilio libro 2° aduersus Eunomium, filium Esse genitum á patre, tum Existentem cum genitus est, non quasi prius extiterit quam gigneretur, sed quia ante sui generationem non Extitisse supponitur, Nam cum æterna sit generatio, æternus quoque filius fuit, Et sic non Extitit nisi genitus, nec genitus Est nisi Existens. Æternus, inquam, Est filius, quia terminus Actionis Instantaneæ tum Existit totus cum Existit actio Instantanea, sicque

si actio æterna est, æternus quoque est ter
minus, genitus est autem iam existens,
sed vi generationis ipsius, quod proprium est
rerum quæ in instanti productæ, produci non
desinunt, producuntur enim iam existentes,
sed existentes vi ipsius productionis, nam si quæ
ras, videantne beati deum iam visum. respon
deo videre, sed iam visum per ipsam quæ pers
everat visionem beatificam.

Ex quo satisfieri potest quærenti utrum
filii generatio iam peracta sit, nam si ins
tantanea est, iam est peracta, neque ideo finem
habet, sicut visio beatifica non habet finem
licet iam peracta sit, sunt quædam actiones
quæ desinunt ubi peractæ sunt, quia tendunt
ad existentiam termini pendentem quidem ab
iis ut sit, sed non ut perseveret, sic desinit
hominis generatio, ubi peracta est, quoniam
homo ut conservetur, a generatione non pen
det, sed et aliæ sunt quæ non desinunt, posito
termino, quia terminus sine iis perseverare
non potest, sic terminus visionis beatificæ sine
ea non perseverat, adeoque quandiu durat idem
terminus, tandiu et visio beatifica durare potest
ac debet, est autem generatio filii de posteriori
genere actionum. Nam filius sine generatione

in Suo Esse permanere non potest, cum ut
monet Sanctus Cyrillus libro 1°. Thesauri
cap. 6°. in Eo idem sit Et existere Et generari.

Unde Sanctus Greg. 29. Moralium
cap. 2°. non possumus inquit, semper
dicere, nascitur, ne imperfectus dicatur, sed
monet secundum popularem loquendi modum
quo perfectum Esse non intelligitur, quod
dicitur nasci seu produci, quamvis 2um
Theologicum dicere possimus, filius semper
Verbum, nascitur,

Objicitur 2°. Verbum mentis in
nobis non Est eiusdem nobiscum substantiæ, ergo
nec filius eandem cum patre substantiam habet.
Nego Consequens, Nam Verbum mentis á nobis
procedit, imperfecto modo, á patre procedit Verbum
modo perfectissimo, quanto perfectus Verbum, inquit
Sanctus Th. articulo 1°. ad 2um procedit, tanto
magis Est unum cum Eo a quo procedit, quam Et
loquitur Sanctus Th. articulo 1°. ad 2um ~~procedit~~
divinum intelligere est in fine perfectionis, Nam
Et quemadmodum Sanctus Cyrillus in Synodo 5ª.
generali parte 3ª. In Apologia duodecim
Anathematismorum, anathematismo 1°. dicit
Deum non gignere nisi digne Et digne deo, dici
quoque debet non producere Verbum nisi digne digne

ac proinde Eiusdem secum substantiæ.

Instas Esse genitum substantia Est, neque enim Est accidens, sed pater Est ingenitus, verbum Ingenitum non Est, ergo non Est magis Eiusdem cum patre substantiæ, quam verbum mentis in nobis.

Distingo maiorem. Esse ingenitum negativé, sic enim Essentia divina ingenita Est, concedo, privativé nego. nam sic Est paternitas ipsa quæ ut præscindit ab Essentia, non Est substantia, non tamen accidens quia non Est Ens inhærens, sed modus habendæ substantiæ. porrho non convenit filius cum patre In ingenito ~~negativé~~ privativé, cũ paternitas sit alius habendæ substantiæ modus quam filiatio; convenit in ingenito negativé sumpto, quia divinæ Essentiæ particeps Est. hic Ingenitum negativé loco Essentiam, quod sit Essentia subiectivé quod formaliter, nam sic Est tantum negatio, sed de hoc adhuc quæstione 33ª. articulo 4º.

Punctum 3um

Quod Spiritus Sanctus sit deus.

Unica conclusio, Spiritus Stus Est deus, Est de fide contra Macedonianos.

Probatur 1° Ex vetere testamento in quo 1°. Deus
dicitur 2°. regum 23°. Spiritus domini, inquit,
dabit, per me locutus est, et sermo eius per linguam
meam, dixit deus Israel mihi locutus est fortis
Israel dominator hominum. 2° tribuuntur ei attributa
et perfectiones dei, Immensitas psalmo 138.mo quo ibo à
spiritu tuo. Sapientia 1° Spiritus domini replevit
orbem terrarum; omnipotentia; Sapientia 7°.
omnem habens virtutem et actio omnipotentia propria
scilicet Creatio, psalmo 32°. verbo domini firmati
sunt Coeli, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Probatur 2°. Idque clarius ex nouo.
1° dicitur Deus et Dominus adorum 5°. Ananie
Cur tentabit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui
sancto, et fraudare de pretio agri, et mox non es
mentitus hominibus sed deo. Ex quo colligit S.tus
Epiphanius haresi 74.a Numero 6°. Deus ergo de
deo est, Et Deus Spiritus Sanctus cui mentiti sunt.
qui de pretio agri interuerterunt. 1.a Corynth. 3°.
Nescitis quia templum dei estis et Spiritus
dei habitat in vobis: Si quis autem templum dei
violauerit disperdet eum deus, vbi templum Spi
ritus Sancti dicitur templum dei. 1.a Corynth.
12°. diuisiones gratiarum sunt, idem autem
Spiritus, Et post, Et diuisiones operationum sunt
idem vero deus qui operatur omnia in omnibus, quem
paulo ante Spiritum mox deum vocat; Et concludit,
Hac omnia operatur unus Et idem Spiritus diuidens
singulis prout vult. 2.a Corynth. 3° Cum autem

Conuersi fuerint ad dominum auferetur velamen, dominus autem Spiritus Est, vbi autem Spiritus domini, ibi libertas: atque hæc loca Eorum os obstruunt, qui Spiritum Sanctum ideo pugnant deum non Esse, quod de eius diuinitate Scriptura tacuerit.

2º Annumeratur patri Et filio vt paris dignitatis, ijsque Consubstantialis Math. 28uo baptisantis Eos in nomine patris Et filij Et Spiritus Sancti, ad quæ verba Sanctus Athan. ad Serapionem vt Enim, inquit, vnicus Et baptismus, qui in patre Et filio Et Spiritu Sancto Confertur, Et vna fides Est in ipsum vt ait Apostolus, sic sancta Trinitas in se Consistens Et in se vnita nihil habet in se factarum rerum, hæc Est Trinitatis Individua vnitas. 2.ª Corynth. 13º. gratia domini nostri Jesu christi, Et charitas dei (patris) Et Communicatio Spiritus Sancti sit in omnibus vobis. Nequaquam, inquit Sanctus Cyrillus Socios et participes Creaturarum rogabat fieri Eos qui Crediderant, sed potius participatione diuinæ naturæ Sanctificari. 1.ª Joan. 5º. Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo pater verbum Et Spiritus Sanctus, Et hi tres vnum sunt, de quo loco iam supra.

Jungnuntur quidem Creatura nonnunquam
cum deo, sed patet id non fieri ad equalitatem
judicandam, vt cum apostolus 1ª ad Thimot.
5.º testificor, inquit, coram deo et christo Jesu
et electis angelis, cum adorum 15.º legitur
est, inquiunt apostoli Spiritui sancto et
nobis, cum exod. 14.º legitur crediderunt
domino et Moysi seruo Eius; Nam in 1.º
angeli vocantur in testes, ad quod assumuntur
etiam res inanimata, Isaiæ 1.º audite coeli
et auribus percipe terra, vt taceam angelos
passim vocari ministros. In 2.º ostendunt
apostoli se tanquam discipulos proferre
quæ a Spiritu sancto didicerant, et se toto
illo capite secernunt a deo, et qui, inquit,
petrus nouit corda, deus testimonium
perhibuit dans illi Spiritum sanctum, sicut
et nobis; In 3.º particula, seruo, diuinam
a Moyse naturam excludit.

2.º Efficientia et operatio deo propria
tribuitur Spiritui sancto, Ergo deus est
nempe quorum vna est operatio, vna est substa
antia Ex 4.º libro 1.º de Spiritu sancto.
Ea vero sunt operationes.
Sanctificatio seu gratia collatio hæc dei pro
pria est, dominus enim dat gratiam et gloriam
psalmo 84.º et Pascasius libri 1.i de Spiritu

Sancto Cap. 4°. largitio Inquit Justificatio id
olim est maiestatis munificentia. Eadem
tribuitur Spiritui Sancto actorum 10 In
nationes gratia Spiritus Sancti diffusa Est.
Roman. 5.° gratia Spiritus Sancti diffusa
est In Cordibus vestris per Spiritum S.tum
qui datus Est Ibid. 1.a Corynth. 6°, Et hae
fuistis Sed abluti Estis, Sed Sanctificati
estis In nomine domini nostri Jesu christi
Et in Spiritu dei nostri, atque Ideo dicitur
Spiritus Sanctificationis roman. 1°

Ad Sanctificationem pertinet peccatorum
remissio, Est illa dei propria, Ideo Judas
Luca 7.° quis Est hic, inquiunt, qui etiam
peccata dimittit, innuentes id dei proprium
esse; tribuitur autem Spiritui Sancto, Joan
20 accipite Spiritum Sanctum quorum remis
entis peccata remittuntur Eis: ad Eandem
pertinet libertatis filiationisque donatio,
Joan. 1° Est hae dei propria, quotquot autem
receperunt Eum, dedit Eis potestatem
filios dei fieri, Et post Ex deo nati sunt.
Eadem Est Spiritus Sancti, Roman. 8.vo non
enim accepistis Spiritum servitutis In
timore, Sed accepistis Spiritum adoptionis
filiorum in quo clamamus Abba pater, ipse

enim testimonium reddit Spiritus nostro quod Sumus filij dei. 2ª Corynth. 3º. Ubi autem Spiritus domini ibi libertas.

Prædictio futurorum, Est dei propria, æmulantur inquit Tertull. Apologetici 22º. diuinitatem, scilicet dæmones, dum curantur diuinationem. tribuitur Spiritui Sancto 2ª petri 1º. non Voluntate humana allata Est aliquando prophetia, Sed Spiritu Sancto Inspirati locuti sunt Sancti dei homines. actorum 1º. viri fratres oportet impleri Scripturam quam implevit Spiritus Sanctus per Os dauid. Act. 21º. agabus virum, inquit, scilicet paulum, Cuius Est Zona hæc sic alligabunt in hierusalem Judæi, Et tradent in manus gentium, Ubi prophetiarum author Est Spiritus Sanctus qui per os Sanctorum seu prophetarum locutus est. Eidem tribuitur notitia mysteriorum inscrutabilium, 1ª Corynth. 2º Spiritus enim omnia scrutatur Etiam profunda dei.

Missio Doctorum Et Apostolorum. hæc dei propria Est 1ª Corynth. 12º. Et quosdam quidem deus posuit In Ecclesia 1º. apostolos. 2º. prophetas 3º. doctores. &c. Eadem tribuitur Spiritui Sancto, scribit Enim apostolus

Citato Capite aliquanto ante allata Verba
hæc autem omnia operatur unus atque idem
Spiritus, dividens singulis prout vult, Et
actorum 20 Attendite vobis Et universo gregi
in quo vos posuit Spiritus Sanctus Epis
copos negare Ecclesiam dei.

his actionibus omnium præstantissima
adiungi potest scilicet Incarnatio, hæc dei
opus Est, nam Esse principium Activum
assumptionis naturæ humanæ Convenit
naturæ divinæ, secundum seipsam ut docet
sanctus Thomas 3.a parte qstione 3.a artic.
2.o Et de christo dici potest quod de sole, Eccles.
27.o vas admirabile opus Excelsi; Eadem
tribuitur Spiritui Sancto, de Cuius operatione
Conceptus natusque dicitur, Math. 1.o quod
in Eá natum Est, de Spiritu Sancto Est, Et
Lucæ 1.o Spiritus Sanctus Superveniet in te
Et virtus &c. Ideo Sanctus Aug. libri 3.i
Contra Maximinum Cap. 17.o mundus, inquit
per filium factus Est Creator, Et Creator
Est filius, Caro Eius quæ data Est pro muni
vita per Spiritum Sanctum facta Est, Et non
Est Creator Spiritus Sanctus; Eodem refertur
quod Christus ungitur á Spiritu Sancto, Isaiæ
61.o Et actorum 10, quod per Eum prædestinatur
et ab Eo raptetur Rom. 6.o Sicut Et Eo plenus

dicitur Lucæ 4°. an non deus Est qui implet librum, inquit Cerealis libri Contra Maximi. Cap. 4°.

Probari 3°. potest Spiritus Sancti Diuinitas Ex Concilio Constantinopolitano 1°. quod Est Vniuersale 2.um Centum quinquaginta patres nam Canone 1°. Anathematisat omnem haeresim Specialiter Eunomianorum, Et arrianorum Et Macedonianorum &c. Et in suo Symbolo, his verbis Simboli Nycoeni, Et in Spiritum Sanctum, addit dominum Et viuificantem, Ex patre, omittitur, filioq. (quod postea additum Est) procedentem, Et cum patre Et filio adorandum, Et conglorificandum hanc Synodum tradit Photius libro de Septem Synodis Confirmatam fuisse, scilicet quo ad Ea quæ de Fide Constituta Sunt, In illa vt S.tus Greg. Monet libri 6.i Epistola 26.a a damaso qui Etiam ante ad paulinum Anthiochenum Episcopum miserat professionem fidei, Et Anathematismos aduersus haeresis Sabellij Arrij Macedonij Et aliorum, in quibus si quis dixerit Spiritum Sanctum non omnia posse vel nosse, nec vbique Esse sicut patrem Et filium, Et facturum Esse Aut per filium

factum, anathemate percutitur. taceo quod iamdudum Ecclesia canit In hymnum glorificationis, gloria patri &c. quod Institutum ab Apostolis fluxisse scribit Sanctus Basil. libri de Spiritu Sancto Cap. 7°. 27°. Et 29°. quem Et singulis psalmis subiungi praecepit Concilium Narbonense. Can. 2° Et Concilium Toletanum vult dici gloria Et honor patri.

Obiectionum Solutio.

Obijciuntur Ea Scripturae loca 1° quae Indicant Spiritum Sanctum Creatum Esse, vel Eo modo productum quo res Creatae. Joan 1° Omnia per Ipsum facta sunt. Joelis 2° Effundam Spiritum meum super omnem ~~carnem~~ Carnem. 2° quae Spiritui Sancto tribuunt actus Creaturae proprios ut postulare Roman. 8uo Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus Inenarrabilibus ut scrutari 1.a Corynth. 2°, Spiritus enim omnia scrutatur, Etiam profunda dei. 3°. quae Eum a se non agere, sed aliunde accipere quod faciat, Joan. 16°. Cum autem

venerit ille Spiritus veritatis docebit vos
omnem veritatem, non enim loquetur á
semetipso, sed quaecunque audiet loquetur, et
post quia de meo capiet, et annuntiabit vobis.

Respondeo ad singula. ad primum
citata loca non indicant Spiritum S^tum
creatum esse, non locus Joan. 1° in quo dicuntur
omnia facta per Verbum, sed qua facta sunt
cum in pra se ferat graecorum codycon,
ac plurium latinorum interpunctio, omnia
per Ipsum facta sunt, et sine ipso factum
est nihil quod factum est, et in sensu
postulat, aliud et patrem oporteret esse
per filium, quod absurdissimum est. porro
Spiritus Sanctus, non est ex his qua facta
sunt. Imo alia fecit psalmo 32° verbo dei
coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius
omnis virtus eorum. Non locus Joelis 2°.
nam Spiritus Sanctus dicitur effundi non
per se sed per dona gratia, quomodo se se
effundit qui sua largitur dona. Deo roman.
5° non Spiritus Sanctus sed dei charitas
diffusa dicitur per Spiritum Sanctum
quo sensu 1^a Thessalonisensium 3°.

Spiritum, inquit apostolus nolite Extinguere scilicet in donis gratuitis ad aliorum vtilitatem Concessis, qua Extinguuntur non vtendo vel male vtendo.

Ad 2um Spiritus Sanctus dicitur postulare Roman. 8vo non quia postulat ipse, sed quia postulandi affectum nobis ingenerat. Sanctus aug. In psalmum 3.im ad illa verba, Exurge domine, non dormienti, inquit aut iacenti dicitur deo exurge, sed more est diuinarum personarum Scriptura det tribuere quod in nobis facit, non quidem vbique, sed vbi congruenter dici potest. Exemplum affert ex 2a ad Corynth. 13. vbi paulus an Inuenitis, inquit, accipere Experimentum Eius qui in me loquitur christus, Idem vero Sanctus aug. Solutionem vnam circa locum apostoli Speciatim probat libro 1o Contra Maximinum cap. Eamque duobus modis confirmat, 1o quod hae verba Immediate antecedant Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus, tum additur, sed ipse Spiritus postulat pro nobis. 2o quod eadem habeatur phrasis ad galatas 4o

4º. Misit deus Spiritum filij sui in corda vra clamantem, Abba pater, clamantem id est facientem vt clametis; Cum Roman. 8.uo dicatur clamare accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus Abba pater, Scrutari vero Spiritum 1.ae Corynth. 2º non est reipsa Inquirere sed penetrare obiectum suum, aut si est inquirere, id dictum est 2dum humanum loquendi modum; Nam et de deo dicitur psalmo 7º Scrutans corda et renes deus.

Ad 3.um Spiritus Sanctus Joan. 6º non loquitur a seipso quasi dependeat a filio sed quod ab eo procedat et persona procedens sicut esse sic agendi virtutem et operationem accipiat a persona qua procedit, id explicavimus, vbi solvimus obiectiones scripturae contra filij consubstantialitatem, Cur autem dicitur accipiet et non accepit? Scilicet vel quia quod aeternum est significari potest per quodlibet ~~[illegible]~~ tempus vel quia Externus Effectus In quem processurus erat admittendus Spiritus Sanctus futurus fuit.

Quod si Spiritum Sanctum ab alia persona accipere non officit eius divinitati, neque etiam ei nocet quod mittatur. tum a patre Joan. 14º, tum a filio Joan. 16º quoniam hic missio non dicit imperium aut concilium, sed processionem tantum in ordine ad Externum Effectum vt explicabitur quaest. 93ª.

Obijcitur 2º Clemens Romanus libri 2i. Constitutionum Cap. 26º Episcopum In Ecclesia vult esse instar patris, dyaconum instar Christi qui patri ministrat in omnibus, dyaconissam figuram habere Spiritus Sancti quae nihil sine dyacono facere

debeat aut loqui, quemadmodum neque paracletus a seipso aliquid loquitur aut facit, sed christum glorificando voluntatem ipsius spectat, sed haec manifeste indicant spiritum sanctum deum non esse.

Respondeo locum clementis utrumque posse explicari scilicet audaciore vocabulo dici quod spiritus expectet voluntatem patris vel christi, quia procedit a verbo et nihil a seipso loquitur et facit, et habent antecedentia verba, quomodo et christus dicitur ministrare patri, quia virtutem a patre acceptam habet, qua explicatio si cui videbitur dici facilius potest tamen non esse constitutionis illae, quoniam licet a graecis veteribus magnificantur tamen earum apud latinos nullum fere nomen est, et graeci posteriores in concilio frullano can. 20 eas improbant et ab haereticis depravatas, et reipsa multa a veritate abhorrentia continent et observat bellarminus libro de scriptoribus ecclesiasticis in clemente romano ac specialim quaedam habet vestigia arriana pravitatis, et photius asserit in sua bibliotheca qui et in libris recognitionum eiusdem clementis suo tempore et conjecere licet quam nunc depravationibus in trinitate haeretica et absurda quae arrianismum redolent, reprehendit.

Objicitur 3° preces ab ecclesia non diriguntur ad spiritum sanctum, ergo deus non est.

Respondeo 1° falsum est antecedens, cum sint hae preces ecclesiae, veni sancte spiritus, veni creator spiritus et similes 2° si non dirigantur orationes nisi fere ad solum patrem, non ideo aut

filius aut Spiritus Sanctus non Est Deus, Cum hæc ferè Sit orationum Conclusio, qui tecum vivit Et regnat In vnitate Spiritus Sancti Deus, quæ filij Et Spiritus Sancti Cum patre Consubstantialitatem ostendit. Est autem decretum Concilij Carthaginensis 3i Can. 23o. vt Cum ad altare assistitur, Semper ad patrem dirigatur oratio, Nempe quoniam ibi Celebratur memoria Cruenti Sacrificij, Sicque ad patrem tanquam authorem et principium omnia referri debent vt retulit Christus in Cruce, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem Et hostiam (Deo Scilicet patri) in odorem Suavitatis.

Sectio quarta

Quænam Sint principia processionum.

In humana generatione duplex principium distinguitur. alterum quod, Scilicet pater, alterum quo, Et hoc adhuc duplex Est, remotum Scilicet natura hominis generantis, proximum potentia generativa, quæritur quænam Sint principia divinarum processionum quæ istis generationis humanæ principijs respondeant.

Prima Conclusio. divinarum processionum principium est persona producens Scilicet pater filij Et Spiritus Sancti pater Et filius, Consentiunt omnes Theologi.

Probatur quia principium quod Est, Cui Competit

virtus producendi, et quod per se denominatur pro
ducere, sed patri respectu filij, patri et filio resp
ectu spiritus sancti competit producendi virtus
et pater per se generare, pater et filius per se spi
rare dicuntur, per se, inquam, quia non eo modo
quo pictor in humanis generare dicitur, sed quo
pater.

Secunda conclusio principium quo saltem
remotum est natura diuina, est etiam com
munis.

Probatur quia illud est principium quo saltem
remotum quod si non immediate per se, saltem
per alia principia quorum est radix, attingit rei
alicuius productionem ut patet exemplo naturæ
humanæ, quæ per potentiam generatiuam cuius
radix hominis generationem attingit, sed natura
diuina si immediate non attingit diuinarum
personarum productionem, saltem est radix eorum
principiorum per quæ earumdem personarum pro
ductio attingatur. Ideo sanctus Th. qstione 41ª
artic. 5º ex sancto damasceno dicit generationem
esse opus naã non sicut generantis, sed sicut eius
quo generans generat.

Tertia conclusio principium quo proximũ
processionum diuinarum est intellectus et volun
tas, ita sanctus Th. hoc articulo 1º, ubi quicunque
inquit, intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit
aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ.

Ex vi Intellectiua proueniens, Id vniuersim dici ad Explicandam processionem verbi quod supponit per Intellectionem procedere ac proinde habere pro principio vim intellectiuam. Idem sentiunt cum eo Theologi communiter contra durandum cuius sententiam aliqui temerariam et contra fidem, alij temerariam, et errori proximam vocant.

Probatur 1° Ex scrip. sapientiae 7° Ego Ex ore altissimi prodiui. Os vero patris est intellectus quo dicit seu loquitur Joan. 1° In principio erat Verbum, 1ª Joan. 1° tres sunt qui testimonium dant in coelo, pater verbum et Spiritus sanctus vbi filius dicitur verbum, verbum autem pro immediato principio vim intellectiuam habet. quod si filius per Intellectum, sanctus quoque Spiritus per voluntatem Immediate procedit, vt seruetur proportio inter vtramque processionem neque Eius respectu nāa potest esse proximum principium, si respectu filij non est, alias Eius processio prior foret filij processione, cum essentia intellectu prior sit, et sic Spiritus s.tus non 3ª sed 2ª persona esset, quod est contra fidem, sed et Spiritus sanctus Rom. 5° et 15° speciatim charitas dicitur, Eique tribuitur creata charitas tanquam causa vt ipse increata charitas esse Intelligatur, adeo que a voluntate procedere.

Respondet durandus In 1um distinctione 6ª

qstione 2a Cap. 18uo filium Et Spiritum Stum
dici procedere per modum Intellectus Et per modum
voluntatis secundum adaptationem quandam ad Ea
quæ Inveniuntur In imagine Creata, quod Est non
veré procedere per Intellectum Et voluntatem, sed
tantum 2um Analogiam quandam quæ in hoc sita
sit quod sicut in nobis prima Emanatio Est per
Intellectum, 2a per voluntatem, Ita filius Et
Spiritus Sanctus per Intellectum Et voluntatem
procedere dicantur, quamvis per ista principia
veré non procedant, atque adeo 2am personam Ana
logicé tantum non proprié verbum dici Contenderet.

Sed Insto, hoc Est ad analogianos accedere
qui negabant in deo Esse proprié verbum, Ex Sto
Epiph. hæresi 51a. 2o regula Est Sti Aug.
libri 3i de doctrina christiana Cap. 10 accipienda
scripturæ verba in proprio sensu quo ad fieri potest,
neque ab Illo recedendum, nisi cum verborum propri
etas Contra morum honestatem, ac fidei veritatem
pugnat. quid vero pugnat si 2a persona dicatur
proprié verbum Et procedere per Intellectum patris.
3o quis toties putet filium vocatum Esse verbum
Joan. 1o Et sic vocatum 2um analogiam
tantum, maximé cum ibidem veré Et proprié di
catur deus, cum omnia per ipsum facta, cum
verbum caro factum Esse. quæ nemo nisi temera
rius supra modum ad analogiam referret; nam
Et sanctum Joannem quis putet vocibus nonnisi
improprijs Explicasse mysteria præcipua xtianæ

religionis, filii divinitatem et incarnaõem: hæc adhuc ex sequenti probatione confirmari poterunt.

Probatur 2° ex sanctis patribus, verbum dici proprie et per intellectum procedere indicantibus. De verbo sanctus Cyrillus libri 1i. Thesauri cap. 1° verbum, inquit Joannes appellat filium et hoc nomen ~~inquit Joannes~~ quasi proprium et ipsius filii maxime significativum elegisse videatur. Et post, vides quomodo ipsum esse filii 2um naam hoc nomen significat de processione per intellectum. Sanctus basilius homilia 6a in illud Joannis in principio erat verbum. Cur inquit verbum? ut quod ex mente procedit intelligatur. Stus fulgen. libri 3i ad Monimum cap. 7° sic est verbum apud deum sicut est in mente verbum, sicut in corde concilium, cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet quia nihil aliud est apud se dicere quam apud se cogitare.

Probatur 3° si tantum improprie et analogice filius et spiritus sanctus procedunt per intellectum et voluntatem, explicari hæc non possunt. 1° ut processio filii prior sit, processio spiritus sancti posterior. 2° cur illa sit generaõ hæc non item. 3° cur filius sit imago patris 4° cur non sit una tantum processio, cur non plures quam duæ. 5° cur utraque sit vitalis. quæ omnia commode explicantur in illa coi

Theologorum sententia. 1um scilicet quod nihil sit volitum nisi genitum, et actio voluntatis, intellectus actum supponat. 2um quod intellectus simile producat, non voluntas. 3um quod proinde terminus intellectus repraesentativus sit sui principii. 4um quod duae sint tantum potentiae scilicet intellectus et voluntas non plures. 5um quod naa per easdem potentias immediate vitaliter agat non per se, cum ut sic tantum sit principium emanationis.

Ex his reijcitur duplex sententia, altera quae durando tribuitur, et eius non est scilicet immediatum principium processionum esse naam divinam, adeo ut exclusis adeo per mentem intellectu et voluntate, adhuc esset in divinis generatio filij et spiratio spiritus sancti, quae sententia requirit quidem hypostasim, non quasi ipsa sit principium quo, sed quoniam agere est suppositi, sicque vel unam vel plures postulat hypostases, ut durandus explicat distinct. 7.a qst. 2.a numero 8.vo: Altera ipsius durandi naam esse quidem principium radicale, eam non habere foecunditatem ex eo quod est intelligens et volens sed ex sua infinitate quod tradit citata qstione 2a. Numero 10, potentiam generandi quae est principium quo generans generat, esse solam relaõem paternitatis, qua sola distinguitur pater 2um suppositum a filio et filiatione ut loquitur numero 29.o

dixi priorem durandi Non Esse, neque abs re quidem tum quia distinct. 6ª qstione 2ª numero 10 dicit generationem Et Spirationem esse Ex foecunditate naturæ radicaliter, non dicit proxime, tum quia qstione 2ª numero 26º diserte scribit, licet illa sententia sit probabilis, sibi tamen non videri quod possit esse vera, unde aliquanto post, scil. num. 29º mox allato dicit quod principium quo generans generat sit sola ratio, fefellit Theologos priorem sententiam illi attribuentes quod citata qstione 2ª distinctionis 6ª numero 10 dicit Exclusis per Intellectum Intellectu Et voluntate adhuc generationem Et Spirationem in divinis Ex quo crediderunt ab Eo tribui soli Essentiæ, quod principium foret, cum tamen Eam radicale solum principium faciat.

Quidquid sit perinde sive prior sententia ponens Essentiam solam, sive posterior ponens relaõem tanquam principium proximum processionum nostris argumentis refellitur Et fatetur vitro durandus distinctione 10ª qstione 9ª numero 5º deesse rationes cur sint tantum duæ processiones, si negetur per Intelligere Et velle personas procedere, Ideoque dicit se Inuiti fide. Ambæ vero sententiæ si in Eam confluant, quæ Essentiam simul Et relationem principium proximum Esse defendat, Exclusis Intellectu Et voluntate, de qua sententia durandus citata qstione 2ª distinct. 7ª numero 18º. Nihilominus in illa 3ª sententia nostris rationibus oppugnabitur.

Obiectionum solutio

Aliæ probant solam essentiam principium esse, aliæ solam relationem, aliæ non intellectionem nec volitionem, ex quo sequitur intellectum et voluntatem non esse principia.

Obiectiones 1i generis hæ sunt 1o Stus hilarius libro de synodis anathemate 29o. — dicit quod omnibus creaturis substantiam dei voluntas attulit, filio vero natura dedit. Et sanctus Aug. 15i de Trinit. cap. 20 dicit verbum per quod omnia facta sunt, filium esse natura 2o aliæ naturæ foecundæ sunt proximé sua substantia, quidni et nãa divina. 3o naturæ divinæ convenit ex sua foecunditate quod sit communicabilis pluribus personis, ergo ipsa immediatum est communicationis suæ, ac proinde processionum principium.

Respondeo ad singulas.

Ad primam, filius dum dicitur natura esse, nomen naturæ non significat principium generationis sed modum et processio libera non sit sed naturalis ac necessaria, nec proinde sit filius adoptivus, sed naturalis, sed et si usquam natura principium diceretur, hoc de remoto principio, non de proximo sumendum esset.

Ad 2am falsum est antecedens, Nam aliæ substantiæ vel foecundæ non sunt ut natura angelica vel sunt foecundæ per aliquam potentiam, ut vivens per potentiam generativam, a qua ratione aut etiam re distinguitur, quare in id quo genitũ assimilatur gignenti principium generationis non est nisi radicale tantum; ex quo nostra sententia firmari potest.

Ad 3am est quidem communicabilis natura

diuina sed mediantibus intellectu et voluntate tanquam necessarijs potentijs aut quasi potentijs ratione quarum sit huius aut illius generis processio, sintque tot numero, non plures processiones, cogitari quidem posset natura ut dicens ordinem ad intellectum et voluntatem, nec proinde latius patens in ordine ad processiones ad intra quam intellectus et voluntas. sed qui naturam pro principio immediato ponunt. Eam considerant sine ordine ad intellectum et voluntatem, Eamque faciunt similem humanae naturae ut est principium generationis ad quam ut sic nihil pertinet quod sit radix intellectus et voluntatis.

Nihil hic Nominales Moror ideo ponentes naam pro principio, quia ne ratione quidem ab ea distingunt intellectum et voluntatem sed nominibus solum ac connotatis, nam alibi virtualis naae a suis attributis distinctio probatur.

Obiectiones 2.i generis. 1.o principium quo generans generat distinguitur necessario in diuinis a termino productionis. ergo est sola relatio. 2.o actus generationis repugnat filio ergo est praeter relaoem. 3.o relatio dat actum 1.um generationis, ergo et dat 2.um ac proinde sola generationis principium est. haec proponit durandus distinct. 7.a qstione 2.a Num. 29.o et sequentibus.

Respondeo ad 1.am principium quo debet quidem secundum aliquid sui distingui, non tamen 2.um

se totum, Nam Et fatetur durandus Essentiam
Esse principium radicale, neque tamen Eam dist
inguit a Verbo Et Spiritu Sancto, adeoque non
Est necesse Ut principium quo sit Sola relatio,
quod si In Creatis principium quo 2um se totum
distinguitur a termino, non ideo in diuinis,
Nam in Creatis Et principium radicale distin
guitur a termino, Et principium quo proximum
a radicali, puta potentia generatiua á naa
generantis Ut fert Communior Sententia.
In diuinis vero, neque principium radicale
distinguitur a termino, neque principium pro
ximum a radicali, quomodo vero Intellectus sine
Intellectio Et per quid distinguatur á filio, paulo
post Explicabitur.
Ad 2am, 1o quamuis relatio foret actus genera
tionis, non ideo Ipsa saltem Sola foret princi
pium, Imo frequentius principium ab actu
distinguitur. 2o actus generationis dici potest
repugnare filio 2um aliquid sui, 2um se totum,
non repugnare, necesse non Esse Ut repugnet
2um se totum. Nam si actus quidam ita sunt
in aliquo supposito Ut 2um nihil sui sint In
alio, non ideo omnes sunt Eiusmodi. Est quidem
ratiocinari, sic in homine Ut brutum nihil
quicquam Eius participet. Idem dico de beatitu
dine in qua assignanda nihil quaerit ~~pphus~~ nisi
quod hominis proprium Est; attamen actiua gen
eratio hominis Ut secundum aliquid bruto Conue
niat, Est hominis solius quatenus attingit passi
uam hominis Ut homo est productionem. Est Com
munis bruto quatenus hominis Ut animal Est —

productionem attingit. Utrum autem actus generationis divinae Includat Intellectionem dicetur postea.

Ad 3am relatio dat actum 1um improprie et denominative quod scilicet constituat suppositum et actiones denominent supposita concedo. quod necesse sit ut ipsa per se saltem solam principium sit generationis. Nego, nam in creatis subsistentia per se activa non est, neq. est operandi principium licet suppositum constituat.

Obiectiones 3i generis. 1o actus Intelligendi et volendi sunt infoecundi ex Aristotele 9i Metaph. tex. 16o creaturae eo foecundae non sunt quod sint Intelligentes et volentes, sed ne homines quidem licet Intelligant et velint, nec refert quod in homine distinguantur realiter Intellectus et voluntas, nam idem est ordo inter differentia 2um raoem et differentia 2um rem. adeoque si homo per Intellectum et voluntatem foecundus non est, nec foecundus est deus. haec proponit durandus distinct. 6a qstione 2a Num. 10. 11o et 12o. 3o productiones personarum distinguntur realiter, sed intelligere et velle realiter non distinguntur. Ita numero 9o: 4o Intelligere et velle competunt omnibus personis, ergo vel omnes personae producunt, quod falsissimum est, vel intellectio et volitio non sunt principia productionum.

Nondum definitur utrum Intellectio et volitio

sint principia productionum, an productiones
quæ paulo post fiet, sed utrumuis propugnetur
neutrum expugnant iurandi obiectionem. Itaq.
respondeo ad singula.

Ad 1am actus Intellectus et voluntatis sunt
intrinseci ad extra, nihilque sensibile producunt
concedo, ad intra nego. Nam colligitur ex mihi
doctrina 2i. Ethic. Cap. 1o et 2o. habitus produci
per actus immanentes, et communis Stephorum
sententia, verbum mentis vel Intellectionem per
voluntionem qualitatem aliquam verbo mentis res
pondentem produci; et vero cur durandus essentiam
magis quam intellectum et voluntatem ad intra
saltem radicaliter productivam faciat, cum ex
nihilo creata nihil quicquam ad intra saltem
substantiale producant.

Ad 2am Licet creaturæ non sint fœcundæ
nec substantiam producant quatenus intelligen
tes et volentes, deum tamen, quatenus intelligen
tem et volentem fœcundum esse, potest intel
ligi quod fœcunditas illi competat per
aliquid altius quam creaturis, ita fœcundæ non
sunt per Intellectionem et voluntionem, et qua
imperfectæ sunt, adeoque solum accidens habeant
pro termino, sed per potentias corporeas, sed
vero per Intellectum et voluntatem fœcundus
est, quod potentiis istis habeat perfectissimas
quæ sicut ipsa sunt substantiæ, ita nec possunt
termino nisi substantiales producere.

Ad 3am productiones personarum distinguuntur
realiter passiuè concedo, activè nego, nam in divinis
nulla est realis distinctio nisi ubi intercedit relatio

oppositio scilicet inter gigni et spirari, quia
qui gignitur etiam spirat ipse, cum pater et
filius spirent spiritum sanctum, et productio-
nes passiua sunt idem cum personis productis
qua relatiuam inter se oppositionem habent. Et
contra nulla est relatio inter productiones actiuas
puta intelligere et velle, sine inter generare et
spirare, cum ibi tantum sit relatio vbi occur-
rit a quo alius et qui ab alio, quod non occurrit
inter intelligere et velle, generare et spirare, ac
proinde nulla est, inter vtrumque realis distinctio
quomodo vero filium distinguatur a spiritu
sancto etiam 2um filiationem, alio loco expli-
cabitur.

Ad 4am intelligere et velle competunt
omnibus personis essentialiter et sine relati-
one sumpta concedo, notionaliter et cum rela-
tione sumpta nego, hac autem, et alia huc
pertinentia vt intelligat, dubia quadam —
soluenda sunt.

Dubia quaedam
soluuntur.

Quaeres etrum intellectus an intellectio
dici debeat principium quo processionis verbi
diximus quidem esse intellectum, sed essetne
intellectus in actu 1o, an in 2o nundum expli-
cauimus. quaerit tamen durandus distinct. 7a
quaestione 2a num. 6o sintne actus intellectus et
voluntatis productiones an principia productorum.

Illi ut satisfiat.

Respondeo principium quo esse intellectum non intellectionem. Ita sentiunt magister libri 1i distinct. 26a Ricardus in 1um dist. 27a articulo 1o Torres qstione 27a artic. 5o disput. unica puncto 3o Et alij communiter contra Henricum Gandauensem quodlibeto 6o qstione 1a quem sequitur Suares libri 1i de Trinit. cap. 8vo Et probatur.

1o quia Sanctus Aug. libri 15i de Trin. cap. 7o dicit verbum procedere ex memoria foecunda, hac vero est intellectus non intellectio.

2o In omni alia natura intellectuali intellectus scilicet specie impressa informatus est principium quo producendi verbi, non item intellectio, ergo et in deo.

3o Si intellectus non esset principium quo sed ista ipsa intellectio, deberet dari actio ab intellectione distincta, et ab ea prodiens quae verbum produceret, sed hoc dici non potest, ut sequenti quaestiuncula declarabitur.

Dices intellectus in diuinis, non distinguitur ab intellectione, ergo hac sicut ille principium est.

Distingo antecedens non distinguitur re concedo, eum nostrum concipiendi modum nego quod sufficit, sicut eadem distinctio sufficit ut essentia sit principium quo remotum, et intellectus proximum.

Quaeres 2° per quas actiones producantur personae
henricus quodlibeto 6° quaestione 1ª duplicem facit
intellectionem, unam essentialem, alteram notionalem,
et hanc ab illa ex aequo distinctam, illam directam, rem
issam et imperfectam, ad quam intellectus sese passive
habeat, hanc reflexam ferventem ac perfectam, ad quam
intellectus active concurrat, simili modo duplicem voli
tionem distinguit, et per posteriorem non per priorem
dicit produci verbum.

Sed hoc male tum quia nulla est intellectio ad quam
intellectus se habeat passive. tum quia ne in nobis quidem
duplex illa intellectio perfecta scilicet et imperfecta ad
henrici sensum distinguitur. tum quia si in nobis
admittenda esset, non tamen in deo, in quo non est
imperfecta intellectio, nec proinde perfecta in solo patre
in filio et spiritu sancto solum imperfecta collocanda
est;

quod si non est duplex intellectio, neque duplex
distinguenda est volitio, una perfecta, altera imperfecta.

Neque sanctus Thomas qstione 37ª artic. 1° contrarium
sentit, dum ait intelligere in divinis solum essentialiter
dici, ipsum vero amare essentialiter et personaliter, nam
duplex amare non distinguit, sed vult solum ob defectum
vocabulorum voces amare et amor assumi ad significandum
amorem sive essentialiter sive notionaliter sumptum,
quia nempe non ita nota est ex usu communi vox spi
randi ut amorem notionaliter sumptum significans,
cum e contra intelligere essentialiter et dicere person
aliter seu notionaliter ex usu communiore usurpentur.

Scotus in 1um distinct. 2ª qst. 7ª duas etiam cons
tituit actiones in memoria seu intellectu patris, quarum
priorem intellectionem vocat, posteriorem dictionem, et eas a se
invicem ex aequo distinguit. priorem personis omnibus vult
esse communem, non posteriorem, hanc productivam esse non illam.

Neque hoc bene, nam Schotus ut pote qui henricum refellit debet ponere dictionem tanquam actum Intellectus distinctum ab Intellectione, et qui intellectio non sit, sed hoc dici non potest. tum quia Sancti patres non secernunt dicere ab intelligere. S.tus aug. 15i de Trinit. Cap. 10 Ex his verbis Sapientiae 2a dixerunt apud se Cogitantes et Ex illis Math. 9o dixerunt intra se, hic blasphoemat, quibus respondet Christus, quid Cogitatis mala in Cordibus vestris, Colligit ipsum dicere mentis esse Cogitare, quod est intelligere. Sanctus fulgentius Citati 3i libri ad Monimum Cap. 7o sed sic inquit, est verbum apud deum, sicut est in mente verbum in Corde Consilium, Cum enim mens apud se verbum habet, utique Cogitando habet, quia nihil est apud se dicere quam apud se Cogitare, et S.tus anselmus in Monologio Cap. 3o. quum autem est idem summo spiritui scire quod intelligere sive dicere, necesse est quod eodem modo sciat omnia quae scit, quo ea dicit aut intelligit. Non enim nisi intelligendo loquitur, tum denique quia sicut visio est actus potentiae visivae adaequatus ultra quem non datur alius qui non sit visio sic Intellectio est adaequatus actus potentiae intellectivae, nec datur alius qui intellectio non sit. loquor de actu vitali qualis est operatio qua verbum producitur, ut ne agam de actu quo intellectus agens diceretur sibi Cudere speciem Impressam vel de eo quo intellectus patiens producit habitum si ab actu vitali distinctus est.

Cunniga ad qstionem 27am disput. 2a dubio 7o membro 2o vult operationes productivas aliud nihil esse quam relationes personarum producentium ut non Includunt intellectionem et volitionem quas putat esse principia non productiones.

Sed neque hoc bene. 1o quia activa verbi productio est ipsa dictio sed relatio ut non Includit Intellectionem

dictio non est, cum dicere sit intelligere ut prob
animus contra Schotum. 2o productio verbi debet
esse vitalis, sed nisi fieret per intellectionem, vi
talis non esset, sicut quia productio habitus in
sententia quae eum distinguit a specie expressa, non
fit per intellectionem vitalis non est. 3o nulla est
actio immanens in divinis praeter intelligere et
velle ex S.to Th. qstionis 27.ae artic. 5o ergo relat
iones personarum producentium ut non includunt
intelligere et velle non sunt activae productiones.

Dices. productio verbi est ipsa paternitas ex
communi Theologorum sensu ut S.ti Th. qstione
41a artic. 1o ad 2um approbantis hanc magistri
doctrinam, generatio et nativitas aliis nominibus
sunt paternitas et filiatio. ergo

Distingo antecedens est paternitas, quia per eam
intellectio quae per se indifferens est ad producendum
vel non producendum, determinatur ad producendum
concedo, quod sit nuda paternitas nego. Nam et sic
repetere possumus vim hominis generativam ab
hominis generantis qua homo est natura, quia per
eam potentia generandi quae per se indifferens est ad
hominem vel aliud vivens generandum, determinatur
ad generandum hominem, et sic dum iidem Theologi
quaerunt utrum personae constituantur originibus,
an relationibus v.g. pater productione activa filii
an paternitate origines adaequate non sumunt. sed
pro eo quod intellectionem et volitionem determinat
ad producendum quod est ipsa relatio non quidem ut refert
sed ut intellectionem et volitionem ad esse productionis
determinat.

Instas. productio passiva filii est sola filiatio,
ergo productio activa est sola paternitas.

Distingo antecedens eodem modo quia intellectio

per se indifferens per filiationem determinationem
ad esse productionis passiva Concedo. quod filiatio
praecise sit passiva productio, nego, quod enim in nobis
eadem intellectio facit, et non intelligere et verbum
producere, ex una parte et ex altera parte obiectum
intelligi et verbum produci, sic Deus intellectio
facit patrem intelligere et producere ex una parte
et ex altera Intelligi obiectum et produci: quemquam
sicut paternitatem ad producere, sic filiationem ad
produci requirit.

Quod si tamen aliquid praeter relationem requiritur
ad producere et produci, non ideo quicquam praeter
relationem vel esse relativum aut producit aut
producitur. quia nihil producit nisi quod a producto
re distinguitur et e Contra: nulla vero nisi inter
relationes distinctio realis occurrit. Neque necesse est
si inter producens et productum distinctio realis non
occurrat, eandem intercedere inter productionem
activam et passivam adaequate sumptam, et ipsum
productum cum vel in Creatis productio non distin
guatur a producto distinctione reali saltem maioris
quamvis producens et productum reali maiori distinctio
ne distinguantur.

Respondeo ergo actiones personarum productivas
esse intelligere et velle notionaliter sumpta, sine
intelligere cum relatione paternitatis. velle cum
relatione spirationis activa, est ipsum intelligere et
velle aliunde communia. tum quia s.tus Th. qst. 9
de veritate articulo 2° dicit verbum esse effectum
actus intelligendi, et 1ª parte qst. 24ª artic. 1° ad
2um pater, inquit, intelligendo se et filium et
Spiritum sanctum et alia omnia quae Eius scientia
continentur concipit verbum, tum quia, neque est
intellectio relativa, neque dicio excludens intellectionem
neque sola relatio ut diximus contra Henricum, Scotum
et Cunniga, Ergo est ipsum intelligere et velle quae

aliunde Communia sunt, Est relatio simul Cum Ex Eodem Sancto Th. de potentia qst. 2a art. 5o ubi generatio, inquit, significat actionem Cum aliquo respectu Et post, Ipsa generatio Est dei actio, sed prout Est patris tantum, tum quia non Est intelligere Et velle separata relatione, alias sicut pater generat, sic Et filius generaret, quia filius intelligit sicut Et pater, ergo postulat adiunctam relationem, sicque a relatione distinguitur tanqm includens ab incluso, sed ut intelligas quae praestet adiuncta relatio.

Nota 1o differre inter facultates Cognoscitivas Et appetitivas Ex una parte, Et alias potentias, hae non aliud habent pro obiecto, aliud pro termino, Ita generativae potentiae obiectum Est generandus filius, id est filius est terminus, Illae aliud obiectum habent alium terminum v. g. Intellectus pro obiecto habet rem intelligibilem, pro termino verbum mentis, Eius operatio si Cum obiecto Comparetur, dicitur solum intellectio, si Cum termino dicitur productio seu dictio.

Nota 2o operationes potentiarum Cognoscitivarum Et appetitivarum, aliter se habere in deo, aliter In Creaturis Cognoscentibus, In his ubi Est operatio attingens obiectum, ibi Est eadem operatio terminum producens v. g. dum intelligo Angelum, expressam Angeli speem seu verbum produco, quod saltem verum Est ubi operao termini Capax Est, Ne Expendam an visio beatifica quae deum habet pro obiecto, habeat quoque pro termino verbum suum. In deo potest attingi obiectum per operationem, tamen non attingitur terminus nisi notionaliter sumatur. Sic Intellectio in filio Et Spiritu Sancto perinde ut in patre attingit omne intelligibile, non attingit terminum nisi in patre in quo solo notionem sibi adiunctam habet per quam fit ut producat pater, Ideoque in filio Et Spiritu Sto

Solum intellectio in patre etiam dictio nominatur. Idem dico de volitione quæ in Spiritu Sancto ~~Item~~ volitio est, in patre et filio spiratio.

Nota 3° non quamlibet relationem intellectioni et volitioni additam facere ut sint activæ productiones accipianturque notionaliter, nam filiatio addita intellectioni non facit ut filius producat seu dicat verbum: Nec relatio passivæ spirationis facit ut Spiritus Sanctus producat seu ~~dicat~~ spiret, Itaque intellectio solum productio est, sumiturque notionaliter in ea persona quæ terminum productum non supponit. Cum enim per se fœcundissima sit, oportet ut terminum producat si nondum productus sit. Et si iam sit productus nihil habet reliquum quod producat, Et sic in patre est intellectio notionaliter sumpta, seu dictio in aliis personis est tantum essentialiter, in patre et filio est volitio sumpta notionaliter, in Spiritu Sancto essentialiter solum, nempe pater quoniam est fontana divinitas Ex sancto dyonisio libri de divinis nominibus Cap. 2° nihil dum supponit productum, ac ne filium quidem et filius perinde ut pater quia volitio intellectione per quam producitur posterior est, nihil dum supponit per volitionem producta, nec proinde Spiritum Sanctum, adeoque intellectio in patre fœcunda est, non in filio et Spiritu sancto, volitio fœcunda in patre et filio non et Spiritu Sancto ~~non~~ Nihil interea imperfectionis est in filio quod non producat verbum, quia neque seipsum potest producere, Cum inter producens et productum sit realis distinctio, neque aliud verbum, quoniam verbum unum ut pote perfectissimum intellectionem exhaurit. Idem dico de Spiritu Sancto quatenus aut verbum, aut seipsum aut alium Spiritum Sanctum producere non potest, sic non esset imperfectus ignis, post productum gradum omnem possibilem Caloris si gradum ulteriorem producere non posset.

Dices. Si intellectio sit productio verbi, pater constitueretur formaliter intelligens ipso verbo producto. Sicut verbum humanum ad hoc producitur per intellectionem ut constituat intelligentem formaliter in actu 2° intelligendi, sed hoc dici non potest cum sanctus Aug. libri 1i retractationum cap. 26° hanc propositionem retractet, pater est sapiens sapientia creata, ergo Nego sequelam maioris, nam si verbum in humanis constituit intelligentem formaliter in actu 2°. Intelligendi, quod iam non expendo, id fit quoniam ante productionem verbi efficienter quidem, non tamen formaliter intelligens est. at pater divinus in priori rationis quam producatur verbum intelligens est ac sapiens scilicet per suam essentiam sive sapientiam essentialem et ingenitam, adeoque verbum in divinis producitur non ob indigentiam et imperfectionem intellectionis, sed ex eius foecunditate et ~~intellectione~~ quam ex sua natura perfectione habet, et si in humanis intellectio solius productionis rationem habet, prout productio distinguitur a forma quam producit, in divinis intellectio, raoem quidem productionis habet ut comparatur ad terminum quem producit, tamen ut comparatur ad obiectum ob suam eminentiam, habet rationem formae sive actus perfecti et absoluti per quem pater constituatur formaliter intelligens; quod discrimen esse inter verbum divinum et humanum, mirum non est, cum et alia sint discrimina ut quod activa divini verbi productio distinguatur a passiva, quod verbum divinum aliud suppositum constituat, et proinde non sit in eo supposito a quo procedit &c. quae verbo divino non conveniunt, utrum interea aliquo sensu dici possit pater intelligere verbo, alibi explicabitur. Coeterum. sicut si in humanis intellectio, ut actio

Est, Constitueret formaliter intelligentem, tamen simul esset verbi productio, sic potest intelligi quod intellectio Constituat patrem formaliter intelligentem et tamen sit verbi productio, scilicet adiuncta relaõe paternitatis.

Articulus 2 dus

Utrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit

Nomen generationis sumitur dupliciter. 1º laté et sic est qualibet mutatio de non esse substantiali ad substantiale, quomodo á physicis libri 1i de ortu et interitu Cap. 4º definitur mutatio totius in totum &c. 2º proprié ut Conuenit solis viuentibus, et sic accipitur hoc loco.

definitur autem origo siue processio viuentis á viuente, principio Coniuncto in similitudinem naã. ita stus Th. hic artic. 2º et Colligitur ex ppho 1i. de generatione Animalium Cap. 1º et 2º et aliis locis.

dicitur 1º origo seu processio, quæ particula est instar generis, Conuenit enim per eam cum generatione laté sumpta aliisque productionibus.

dicitur 2º viuentis ut distinguatur a generaõe latius sumpta quæ est rerum etiam non viuentium.

dicitur 3º a viuente scilicet sese habente vitaliter nequalibet productio viuentium putetur esse generaõ. Nam productio ranarum ex lutho generaõ non est: Eua productio ex Adami Costa generaõ non fuit, quum illæ non procedunt ex viuente. Et si hæc ex viuente certé non ex eo sese habente vitaliter producta fuit. Satis est autem quod agens præcipuum sit viuens, ut abstrahatur ab eo Controuersia, sitne semen animatum.

dicitur 4° Coniunctum quæ vox significat rem genitam suo principio sive gignenti coniunctam esse debere scilicet vel per ipsam gignentis substantiam, vel per aliquid eius substantiæ, filius in divinis totam habet patris substantiam. In creatis semen a patris substantia decisum habet. hæc particula excludit a generatione productionem Angelorum et hominum a deo, quia licet viventes sint, et a deo vivente, tamen non habent dei substantiam, aut partem divinæ substantiæ; excludit etiam ignis productionem ab igne, quamvis aliunde non excluderetur.

dicitur 5° In similitudinem naturæ saltem 2um speciem, Ideo nec pili seu capilli, nec vermium ex humano corpore productio, generatio est, quia pilus homini similis non est 2um naam, et licet vermes similes sint 2um gradum animalis, non tamen 2um gradum specificum hominis; Ideo nec pili, nec vermes eorum a quibus prodeunt filii sunt, aut vocantur.

dixi saltem secundum speciem; nam si una eademq. numero sit generantis et geniti substantia, erit adhuc generatio, imo perfectissima generatio, Ideoque similitudo naturæ hic latius sumitur, ut etiam ad identitatem extenditur.

Addi potuit definitioni, (per se) ut ex vi processionis ut scilicet quidquid a vivente est in similitudinem naæ ad genitum esse intelligeretur, nisi per se et ex vi processionis similem naturam habeat. Sed hoc subintelligi potest, nam cum ~~attinetio~~ actio aliqua dicitur terminum ~~intelligere~~ attingere, et per ordinem ad eum definitur terminus attingi censetur vi actionis. Sic creatio dicitur productio rei ex nihilo subintelligitur per se et ex vi productionis, ut si concipi posset alia actio identificari creationi v. g. eductio, ad eam non intelligeretur pertinere quod ex nihilo sed quod ex subiecto produceret, ideo stus

Thomas illud particulare definitioni non addit.
Porro dicitur generatio esse in similitudinem naturæ secundum speciem, quod in eam tendat per se, non quod eam semper attingat, nam multum non desinit esse genitum, quamvis eidem speciei non sit cum æquo, nempe quoniam actio generantis qui per se tendit in æquum, licet impedita non producat æquum sed minus, eatenus tamen dicitur imperfecta generatio, quatenus non pervenit actu ad productionem individui eiusdem speciei, sicut e contra omnium perfectissima generatio quatenus non pervenit modo actu ad productionem eandem speciei sed etiam ad eandem numero, hoc posito sit

Unica Conclusio. processio verbi divini est generatio. est de fide. et probatur.
1° Ex Scriptura. psalmo 2° Ego hodie genui te psalmo 109° Ex utero ante Luciferum genui te. Isaiæ 53° generationem eius quis enarrabit, Joan. 1° vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre. Mitto quod 1a persona dicitur pater. 2a filius. Ephes. 3° flecto genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi a quo omnis paternitas in cœlis et terra nominatur, qua verba veram paternitatem indicant. Math. 3° hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. alia multa sunt istius generis loca, ubi vero pater ibi filius, ibi processio est generatio.

2° Ex Symbolis. Apostolico et in Jesum Christum filium eius unicum, Nycæno, et in unum dnm nostrum Jesum Christum filium dei unicum, Athanasiano, — filius a patre solo est, non factus, nec creatus sed genitus.

3° definitio generationis convenit processioni filii. 1° est ortus a viuente Joan. 5° sicut pater habet vitam in semetipso. 2° est a principio coniuncto, cum non

modo partem habeat substantiæ paternæ, sed etiam totam substantiam, Joan. 14°. Ego in patre et pater in me est. 3° Est proinde In similitudinem naturæ cum filius sit in patre et pater In filio, quia una est non solum specie, sed etiam numero utriusq. nãæ quæ personalitates sibi identificat, et identitatem adhuc ostendit Illud Joan. 10 Ego et pater unum sumus, in similitudinem, inquam naturæ et formaliter et vi processionis, quia procedit per intellectum qui tendit in verbum seu speciem expressam quæ est obiecti repræsentatio, et per talem Intellectum qui tendat in similitudinem perfectissimam et substantialem, sed hoc articulo 4° pluribus explicabitur.

Obiectiones, ostendunt processionem filii non esse generationem, sed quæ cum imperfectione coniuncta sit, ut quæ est actio transiens et tendit in effectum proprie dictum, Ideo non est generatio late sumpta scilicet mutatio de non esse ad esse, corruptioni opposita cuius subiectum sit materia. Nam in diuinis nulla est mutatio, corruptio nulla, nulla materia, neque est generatio proprie sumpta, talis omnino, qualis est in creaturis viuentibus, nam in hac non substantia tota sed pars substantiæ, non eadem numero, sed eadem specie natura communicatur, In eadem reperiuntur duo principia, pater et mater, foetus paulatim perficitur, filius sic gignitur ut possit quoque gignere; at generatio diuina totam substantiam et illam numero eandem communicat, unum principium habet scilicet patrem diuinum et filium producit ab æterno perfectissimum qui alium filium gignere nequeat, sunt et alia discrimina sed quæ per accidens se habeant ad generaõem et abstrahit a diuina et creata.

Neque tamen deest quo diuina generatio cum creatura conueniat, hæc supponit foecunditatem in generante,

Est actio vitalis et a principio vitali substantiam rei communicat, tendit in rem similem in natura suum habet semen, uterum conceptionem partum. Eadem conveniunt generationi divinae. Nam ut de aliis taceam quae per se clara sunt, Essentia divina quia gerit vicem speciei impressae, quae dicitur semen obiecti est instar seminis, intellectus foecundus est uterus ille de quo psalmo 109° Ex utero ante luciferum genui te. Intellectio est conceptio, partus est verbi productio, cuius conceptionis et partus meminit scriptura, proverb. 8° ubi sapientia increata, nundum inquit, erant abyssi et ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar.

Articulus 3us

Utrum sit in divinis alia processio a verbi generatione

Unica Conclusio: Est alia processio á verbi generatione est de fide, et probatur

1° Ex scriptura, Joan. 5° Cum autem venerit paraclytus quem Ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis qui á patre procedit, spiritus autem sanctus alius est a filio, Joan. 14° Ego rogabo patrem et alium paraclytum dabit vobis, atque adeo alia est eius processio.

2° Ex symbolo Nycoeno quod sic recitatur in missa et in spiritum sanctum dominum et vivificantem qui a patre filioque procedit, et athanasiano spiritus sanctus a patre et filio non factus nec creatus nec genitus sed procedens.

3° processio in divinis existit secundum actiones immanentes, actiones vero immanentes distinctae existunt 2um earum distincta principia, ~~[illegible]~~

Ergo cum duo sint processionum principia scilicet intellectus et voluntas, sunt quoque duæ immanentes actiones scilicet intellectio et volitio, ac proinde sunt duæ processiones.

Adde quod sunt tres personæ quarum una solum improducta est: Ergo aliæ duæ procedunt, et quidem distinctis processionibus, cum personæ nihil sint aliud quam processiones passive sumptæ. Et 3a persona non distingueretur a 2a nisi ab ea procederet, ut dicetur qstione 36a. sicque 3am alia processione quam 2am procedere necesse sit.

Dices. Una solum potest esse communicatio naæ divinæ, sicut una est naæ humanæ communicatio, Ergo est una tantum in divinis processio.

Nego antecedens. Nam divinæ essentiæ totuplex est communicatio, quotuplex actio immanens, quia deus est, quidquid est in deo, ac proinde actionum immanentium termini sunt deus, sicque quia duæ sunt actiones immanentes, duæ sunt communicationes naturæ divinæ seu processiones, In homine una est communicatio substantiæ scilicet ad extra, adintra non communicat suam substantiam, quia quidquid est in homine, homo non est. de hoc sanctus Thomas ad 2um

Instas. Adæquate communicatur essentia divina per unam processionem, cum infinite communicetur. ergo inutile est quod afferuntur plures actiones immanentes ad multiplicandas processiones.

Distingo antecedens. adæquate communicatur quod essentia tota concedo, quod totaliter distingo, secundum oem modum proprium communicabilitati per quam communicatur concedo, absolute nego; adæquate communicatur essentia, hoc est tota, quia nihil quicquam essentiæ filio deest, communicatur adæquate 2um modum respondentem communicabilitati per quam communicatur

filio, quia nulla Communicatio facienda Superest per intellectum, attamen Est adhuc Communicatio facienda per Voluntatem, quoniam Essentia manet, hoc quoque modo foecunda et Communicabilis; dicunt alij Patrem Essentiam esse Communicatam filio per adequate intensiue, non Extensiue, sicque una foecunditatem non Extensionem Exhaustam non esse, quod intelligi deberet, vel ab ijs qui personarum distinctionem non admitterent, nam sic deus in ratione obiecti intellegibilis adequaretur per intellectionem diuinam et adhuc in ratione obiecti amabilis per diuinam volitionem attingi posset, Esto tunc Intellectionis et volitionis termini realiter non distingnerentur.

Dices 2° Intellectus et voluntas, imo Intellectio et volitio sunt una et eadem realiter Entitas, ergo non Est ab ijs nisi una processio.

Nego Consequentiam, nam saltem est distinctio virtualis, inter intellectum et voluntatem, Intellectionem et volitionem quod sufficit ad ponendas distinctas processiones. loquimur de passivis processionibus, qua sunt ipsa persona producta et diximus, neque enim necesse est, paremi principijs, qua est in termini distinctionem esse. potest res una principiative multiplex esse terminative, unus sol multos producit radios una una calefacit et exiccat, et deus per unam eandemq. entitatem miseretur et punit, sed qua virtualiter duplex sit, hocque misericordia et misereatur, et punit iustitia; adeoque re quidem non distinguuntur Intellectus et voluntas, intellectio et volitio, quia non habent oppositionem relativam inter se, quia tamen distinguuntur virtute, processiones passivae qua sunt ab ijs distingui possunt realiter, et reipsa distinguuntur, quoniam oppositionem inter se saltem mediatam habent.

Dices 3° Voluntas nullum terminum producit, ergo nulla est in diuinis processio per voluntatem.

Nego antecedens, nam sicut intellectus sunt ter
minus, quidam et voluntatis, et quidem, inter huius
et illius terminum discrimen, terminus intellectionis
est imago rei cognitae, terminus volitionis est impetus
et pondus in rem amatam. Ille dicitur verbum mentis
hic si volumus, Spiritus appellabitur, sicut in divinis
dicitur Spiritus Sanctus, nempe quod sicut Spiritus
sanctus est impellere, sic et terminus ille in obiectum
amatum formaliter impellit. Et tamen inter utrum-
que potentiam hac paritas, quod sicut intellectus suum
verbum habet, sic et voluntas pondus suum. Intellectui
vero suum verbum tribuitur, non ut sit eius obiectum
immediatum ut quibusdam placet, cum obiecta
vel per se vel per impressam sui speciem, intellectum
immediate moveat, sed ut sit terminus et talis terminus,
terminus quidem, quia omnis actio tendit in terminum,
talis vero terminus, qui scilicet rem cognitam exprimat.

Neque hic nocet Sanctus Thomas qst. 9 a de veritate
articulo 2° ad 7um ubi dicit intellectum habere in se
aliquid per modum operationis, et aliquid per modum
rei operatae, id est termini: voluntatem vero habere aliquid
solum per modum operationis. Nam et interpretatur
Cajetanus intelligendus est secundum loquendi modum
quod sit vox exprimens terminum mentis per modum
rei prolatae, non vero sit vox exprimens terminum
voluntatis nisi per modum operationis. Terminus
intellectus vocatur verbum mentis, et hac vox rem
operatam significat; terminus voluntatis dicitur
amor, et hic operationis potius quam rei operatae nomen
est, atque ideo S^tus Thomas dicit amorem non ita se
habere et dicatur personaliter, sicut verbum, quia verbum
non significat rem procedentem, qui tamen Spiritum
Sanctum a patre et filio procedentem non negaret. Et
qui hoc articulo 3° sicut processionem verbi secundum

actionem intelligibilem, sic processionem amoris (scilicet ut termini) secundum operationem voluntatis in nobis inveniri docet.

Articulus quartus

Utrum processio amoris in divinis sit generatio.

Duo praestamus hoc artic. 1° ostendimus processionem amoris generaõem non esse. 2° Cur non sit raõem inquirimus, quod duplici sectione praestabitur.

Sectio prior

Quod processio amoris non sit generatio.

Unica Conclusio. processio amoris in divinis generatio non est, de fide est, et probatur.

1° Ex scriptura quae filium unigenitum vocat, Joan. 1° unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrabit, et Cap. 3° sic deus dilexit mundum ut suum filium unigenitum daret. 1.ª Joan 4°. In hoc apparuit charitas dei in nobis quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum.

Nec refert quod Salomon proverb. 4° Ego inquit filius fui patris mei tenellus et unigenitus coram matre mea, et tamen tres alios fratres habui etiam bethsabeae filios, 1ª paralyp. 3° nam Salomon dicitur unigenitus. 1° quia regis filius qui successurus est, dici potest unicus, sicut genes. 22° abrahae dicitur tolle filium tuum unigenitum scilicet Isaac qui successurus erat, quamvis alium haberet filium scilicet Ismaelem, et hoc sensu David 1ª paralyp. 29° Salomonem inquit filium meum unum (70ª unicum) elegit deus adhuc parvulum et tenellum. 2° quum unicè diligebatur a matre, vertunt enim 70ª dilectus in facie matris suae, et noster legit, non unigenitus

solum sed tenellus et unigenitus, non unigenitus patris et matris, sed matris, imo ne matris quidem sed coram matre sua, ut pateat non ortu, sed affectu solum unigenitum vocari. Ideo Bethsabeæ 2.i regum 3.o quid, inquit dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum; at si filius æterni patris, verè unigenitus non est, nulla est similis ratio cur unigenitus vocetur. 2.o Ex omnibus symbolis, Apostolico, et In Jesum Christum filium eius unicum, Nycoeno filium dei unigenitum, Athanasiano, Spiritus Sanctus à patre et filio non factus nec creatus nec genitus sed procedens. Eodem modo loquitur Toletanum 1.um in assertione fidei contra priscilianistas.

3.o Ex sanctis patribus. S.to Athan. Epta ad Serapionem, furor est, inquit vel omnino cogitare aut dicere de filio, eum esse alicuius fratrem, aut patri, aui nomen imponere, non enim in scripturis filius nominatus est spiritus, ne frater esse putetur, neque filius filii, ne pater esse auus existimetur, sed filius patris filius, et spiritus patris et filii dictus est spiritus. atque ita S.ta Trinitatis una diuinitas est et fides. S.tus Aug. libri de fide et symbolo cap. 9.o Seruant tamen scripturæ sacræ, ut non genitum spiritum sanctum tanquam filium de patre prædicent, unicus enim est Christus; neque de filio, tanquam nepotem summi patris; nec tamen id quod est, nulli debere, sed patri ex quo omnia, ne duo constituamus principia sine principio.

Dices filius dicitur primogenitus Hebr. 1.o et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, ergo spiritus sanctus est alter filius.

distingo antecedens. 1° genitus negative quod nullum se priorem habeat qui filius sit, concedo, positive qd alij filij eo posteriores sint, nego, sic et Math. 1° et Lucæ 1° peperit beata Virgo filium suum 1° genitum quo scilicet nullum priorem habuit, quamvis nec posteriorem. sic Exodi 12° dicitur deus percussisse omnia primogenita Ægypti, et tamen ex ijs potuerunt esse multi unigeniti, qui fratres nullos se minores haberent, alijs locis dicitur 1° genitus sed in quibus nulla eius cum Spiritu Sancto ~~ea~~ potest esse comparatio, ut cum Roman. 8° dicitur primogenitus in multis fratribus &c.

Dices 2° Amor procedit in simile, tum generatim omne animal diligit simile sibi, Eccles. 17° tum speciatim in divinis cum Spiritus Sanctus naam divinam habeat, ergo Spiritus S.tus est filius.

distingo antecedens. procedit in simile, quod tale supponit, quatenus similitudo est principium amandi concedo, quod tale producit, etiam in divinis, distingo veluti materialiter et identice concedo, formaliter et ex vi processionis nego. hæc paucis explicat S.tus Th. In responsione ad 1.um et 2.um quæ nos sequenti sectione multis explicaturi sumus, sed et quo sensu Spiritus Sanctus a nonnullis patribus vocetur imago verbum sapientia, videbitur suis locis, solum hic

Nota ex S.to Th. ad 3.um cum deum sive divina nominare non possimus nisi ex creaturis, deesse nõen proprium quo nominetur Spiritus Sanctus, qum in creaturis naturæ communicatio non fit nisi per generationem, posse tamen spirationem dici quia est processio Spiritus, certe processionem vocari generali nomine sumpto pro speciali, iam supra monuimus.

Sectio posterior

Cur processio amoris In diuinis generatio non sit.

Suppono licitum esse id Inuestigare, Nam patres quidem tradunt imperuium esse menti nrae Cur genitus sit filius, non item Spiritus S.tus S.tus basil. orat. Contra Sabellian. filius inquit, á patre per generationem, Spiritus vero Ex deo modo arcano Ineffabili. Et Sanctus Aug. libri 3i Contra Maximinum Cap. 14º quid autem, inquit, inter nasci Et procedere intersit, de illa Excellentissima natura loquens, quis potest Explicare. Non omne quod procedit nascitur, quamuis omne procedat quod nascitur, Sicut, non omne quod bipes Est homo Est quamuis bipes sit omnis qui homo Est. hæc scio, distinguere autem illam inter generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio, Imo damnare videntur Immoderatæ Curiositatis Indagare Cupientem hoc mysterium. Sufficit, inquit S.tus Athan. Epistola ad Serapionem hoc nosse Spiritum Sanctum non Esse Creaturam, neque inter opera numerari; Nihil Enim alienum Trinitati Commiscetur. Sed Indiuisa Est, sibique similis. hæc sufficiunt fidelibus huc vsque humana pertingit Cognitio, huc vsque Cum ventum est, Cherubim pennis obuelant faciem Eius, qui autem plura istis inquirit, Et perscrutari Cupit, male obtemperat dicenti, ne nimium sis sapiens, ne obstupescas; attamen hoc præstant sancti patres solum ad retundendam Eorum temeritatem fuisse liquidam ac certam huius mysterij rationem afferre, inquirunt, afferuntque probabiles rationes, Neque afferunt sine fructu, Cum iis vtantur ad repellendas hæreticorum Cauillationes, qualis illa apud Sanctum Athan. Citata Epistola, quod Spiritus Sanctus sit filius, quod duo fratres Cui similem proponunt

dydimus opere de Spiritu Sancto et Sanctus Aug. libro 1° Contra Maximinum.

Certum est autem non ideo tantum Spiritum Sanctum genitum seu filium non dici, quia Scriptura filium non vocat, quasi nomine solo filius non sit, nam Sti patres dum inscrutabile vocant hoc mysterium, Eius profunditatem non repetunt a nominum impositione sed a reipsa; et vero si a nominibus solis repetendum esset discrimen utriusque processionis, quid hic adeo profundum occurreret, facile dici posset hanc personam vocari filium, illam non item, quod hanc non illam isto nomine vocasset Scriptura.

Quare dum Sanctus Basilius lib. 5° Contra Eunom. Cap. 12° tradit Spiritum Sanctum filium non dici quia Scriptura non vocavit filium, ne scilicet, si filius ex filio natus esset, alius quoque tertius ex hoc natus esse crederetur, non vult eandem esse rationem cur Spiritus Sanctus dici posset filius, cum ea ob quam eo nomine secunda persona vocata est, cum passim utriusque processionis assignet discrimina, sed tantum nomine filii generalius sumpto dici potuisse tertiam personam, sicut et eandem vocat verbum et imaginem filii, cum vel ii qui per gratiam adoptantur, dicantur filii dei, sic tamen Spiritum dictum non fuisse ne duorum filiorum audito nomine et ambarum processionum eiusdem appellatione vocabuli obscurato discrimine, si filius vocatus esset ex filio ad filiorum multitudinem progressio fieret. Aliquid simile habet Isidorus hispalensis Libro 7° originum. Ergo Spiritus Sancti processio non solo nomine, sed etiam ipsa re generatio non est, quænam autem ratio

hic nodus Inextricabilis cuius ut eunque dissolvendi rationes alias atque alias proposuerunt patres ac Theologi. Nos eas expendemus quae nunc proferuntur In Scholis, et ex iis illam, quae vero similior erit, eligemus.

Alias quas non proponunt Scholae multis non moramur, quales sunt istae. 1° filium esse genitum non Spiritum Sanctum, quod filius procedat ut natus, Spiritus Sanctus ut datus, quam affert Sanctus Aug. 5.i de Trinit. Cap. 14°. 2° Spiritum S.tum non esse genitum, qui filius non accepit partem substantiae patris ut fit in Creatis sed totam substantiam, ideoque filii filium non esse est S.ti Athanasii Citata Epla ad Serapionem. 3° filium esse genitum quod a solo patre procedat, non item Spiritum Sanctum quia procedit a patre et filio. quasi nemo gignatur a duobus nisi sit pater et mater. quae ratio est S.ti Aug. lib. 15 de Trin. Cap. 26° et Paschasii Diaconi lib. 1.i de Spiritu S.to Cap. 12°. 4° Spiritum Sanctum non esse genitum quod a patre non proximé et Immediaté, sed mediaté et per filium procedat, quae est S.ti Greg. Nisseni lib. 1° Contra Eunomium, cui similis est illa S.ti Basilii Epla 93.a quod Spiritus S.tus pendeat á filio et post eum numeretur. 5° quod filius procedat 2.um naturam, Spiritus S.tus 2.um voluntatem, quae est S.ti Bonavent. in 1.um distinct. 13.a qst. 2.a ad 1.um et Richardi eadem dist. artic. 1° qst. 3.a qui triplicem distinguunt productionis modum secundum voluntatem, sicut Creaturae productae sunt a deo propter naam, sicut Eva producta est ex Adami Costa et secundum naturam, sicut Abel ex Adam productus est.

hæ siquidem rationes difficultatem non solvunt, Nam cum Spiritus Sanctus communicatam habeat á patre et filio eandem substantiam, sicque procedat in naturæ similitudinem, quæretur semper cur Spiritus Sanctus sit datus solum et non natus, cur non perinde a filio qui totam substantiam acceperit genitus sit, atque si partem accepisset? Cur generationi repugnet á patre et filio esse cum habeat rationem unius principii, neque id proinde inveheret patrem et matrem in res divinas, licet in creatis sint pater et mater, quod tamen ubique necessarium non est ut in generatione apum quia duo sunt principia, cur Spiritum Sanctum, esse á patre per filium, vel nonnisi post filium, numerari generationi officiat.

Cur tandem productio Spiritus S.ti 2.um naturam non sit perinde ac productio filii, cum si produci secundum naturam sit non produci libere vel naturam habere pro principio remoto, vel produci conformiter naturæ producentis, perinde Spiritus Sanctus ut filius producatur non libere et naam divinam habeat pro principio remoto suæ processionis, et conformiter naturæ divinæ procedat, quia sicut deo conforme est ut seipsum cognoscat, sic ei conforme est ut seipsum amet et producat Spiritum Sanctum. Nam si procedere secundum naturam est procedere 2.um aliam facultatem a voluntate, quæritur cur necessarium sit ad generationem non procedere 2.um voluntatem cum et per voluntatem eadem naa communicetur. Si vero procedere 2.um naam sit vi processionis similem esse producenti, adhuc quæritur cur Spiritus Sanctus perinde ut filius vi processionis similis non sit. Itaque rationes illæ satisfacere non possunt. Multo minus satisfaciet Schotus in 1.um dist. 13.a

qstione Unica, dum ait generationem Scipsa gene-
rationem esse, et Spirationem Scipsa Spirationem
neque aliam huius rei rationem esse quaerendam;
Sic enim effugit difficultatem, non Soluit. quaereretur
enim Semper Cur Spiratio Scipsa Spiratio sit, et non
sit generatio, quare sunt Expendenda rationes aliae
in Scholis Expeni Solita. quaerimus autem sitne
haec aut illa ratio Cur filius sit genitus, et si nega
mus pateat quoque eam non esse, Cur Spiritus Sts
genitus non sit: Sin autem affirmemus, ostendamus
deesse eandem rationem Spiritui Sancto, neque non
esse genitum Concludamus. Jo sequentibus
punctis praestabitur.

Primum
Vtrum filius Deo genitus
sit quod naam foecundam
accipiat.

Prima ratio qua Expeni Solet Jn Scholis
Est filium esse genitum, quia foecundam a patre
naturam accipit non item Spiritum Sanctum
quia non accipit foecundam naturam. Eam
afferunt Richardus a Sancto Victore lib. 6°. de
Trinit. Cap. 18°. Alensis qst. 42ª membro 2° et
3°. Maior in 1um distinct. 12ª qst. 1ª, Cumigha
hac qst. 27ª Dissent. 2ª Dubio 20° Membro
3° et Sequentibus, Contra quam sit
Vnica Conclusio, filius genitus non Est q.
naturam foecundam accipiat, Ita Coeteri
Theologi Communiter, Ex Stō. Thoma qst. 35ª
articulo 2°.

Probatur, quia filius eo genitus est quod procedit a vivente principio coniuncto in similitudinem naturæ sed filius intelligitur procedere a principio coniuncto in similitudinem naturæ, quamvis non accipiat naturam fœcundam, et genitus non est quoniam naturam fœcundam accepit.
Maior est evidens, petitur enim a definitione generationis.
Minor ostenditur, filius procedit in similitudinem naturæ quod vi suæ processionis divinitus habet, sed exclusa fœcunditate naturæ filius, vi suæ processionis divinitatem habet, cum prius sit secundum aliquod rationis signum filium habere divinitatem, quam divinitatem fœcundam.

Nec dicas procedere quidem in similitudinem nāæ quatenus natura est ipsum esse, et ab essentia non distinguitur, non tamen quatenus natura sumitur pro natura fœcunda, quam significationem fert tum eius nomen. Natura enim á nascendo dicta quod sit principium nativitatis: tum naturæ definitio 2i physic. cap. 1o ubi definitur principium motus et quietis; in definitione vero generationis, naturæ nomine non significari nudam essentiam, sed essentiam fœcundam, nam ut fatear nāam interdum significare nāam fœcundam neque interea expendam nunquid natura ut definitur a ppho sit principium generationis vel productionis substantialis in supposito, quod ab eo in quo est nāa distinctum sit, facit enim difficultatem quod pphus definit naturam principium motus eius in quo est, generatio vero non est in generante quo fit ut Crassotius in 2um phys. cap. 3o dicat naturam minus congruenter dici, quatenus in alio

Agit, Naturæ nomen in definitione generationis naturam foecundam non significat, ergo filius divinus eo procedit in similitudinem naturæ quod vi suæ processionis divinitatem habet.

Antecedens declaratur. Natura foecunda dupliciter intelligi potest. 1° radicaliter quatenus ipsa per se sui esse communicativa est, quamvis in actum prodire non possit ob impedimentum. 2° proximé quatenus non solum ipsa per se est sui esse communicativa, sed etiam quatenus nullo tenetur impedimento quominus in actum prodeat.

Prior modus non sufficit, alias Spiritus Sanctus genitus esset quoniam recipit naturam divinam radicaliter foecundam, est enim sui esse per se communicativa, et illud communicaret nisi eo impediretur quod iam adæquaté tum intensivé tum extensivé communicata est.

posterior modus non requiritur. 1° generatim in omni generaõe, nam mulus gignitur ex equo et asina imperfecta quidem generatione, sed gignitur veré et tamen naturam accipit proximé foecundam.

Neque ad rem pertinet afferre ubi gignant muli de quibus Theophrastus apud plinium, lib. 8° naturalis historiæ Cap. 44°. nam si alterius speciei non sunt, saltem passim et in tota feré specie foecundi proximé non sunt, et tamen procedunt per veram generationem.

Neque etiam refert quod id fiat propter intentionem equi et asinæ generantium, etenim non quæritur utrum causæ generantes intendant communicare naam proximé foecundam, sed utrum

reipsa Communicent, Nam intendere solum Communicare naturam proximé foecundam. Et eam actu non Communicare, Est eam Communicare nãam foecundam remoté, Et quæ proximé foecunda non Est, ob impedimentum, quod non sufficit ad generationem ut iam diximus de Spiritu Sancto, qui nãam habet remoté foecundam, Et quæ foecunda non Est proximé, quoniam hoc quoddam impedimentum occurrit, quod per Intellectum Et voluntatem adæquaté Communicata Est., nullaque superest facultas per quam Communicetur.

Diximus quidem ad generationem sufficere quod in similitudinem naturæ tendat, quamvis eam non assequatur, ut patet In generaõe muli, sed hoc sufficere non potest, quod tendat in nãam proximé foecundam, nisi Et actu proximé foecunda Communicetur, Cum vel Illa sententia quam impugnamus in hoc rationem generationis ponat, quod naturam non remoté solum sed etiam proximé foecundam Communicet.

2º Speciatim in generatione filij divini, tum quia si per nãam proximé foecundam Constituitur In raõe geniti, Certé per eandem foecunditatem per quam pater foecundus Est. Nam quomodo filius in similitudinem naturæ foecundæ procederet si nãam acciperet, alio prorsus mõ foecundam: at filius non accipit naturam eo modo foecundam quo patris nãa foecunda Est; pater Enim foecundus Est ad gignendum Et spirandum, filius ad spirandum tantum. Neque hic sufficit æquipollentia foecunditatis ad spirandum, Cum foecunditate ad gignendum. Neque Enim faciet ut eadem sit

foecunditas patris et filii, nec proinde ut eadem
sit naa foecunda, cum tamen id quod genitum
est eandem cum generante naturam accipiat.
tum quia filius diuinus, si per id tantum
generetur quod naam proxime foecundam accipit,
filius non esset nisi quatenus spirator, solum enim
accipit naam foecundam qua spirator, sed filius eo
non est filius quo spirator est. Est enim filius ea
relatione qua praecise respicit patrem, et qua in raoe
secundae personae constituitur, sed per filiationem.
tum denique quia si per foecunditatem naturae
constitueretur filius veluti per accidens se haberet
ad eius generationem, quod per intellectum procederet,
scilicet quod contingeret intellectum esse facultatem
priorem voluntate, et voluntatem post actum intellectus
elicere suum actum; adeo ut si per impossibile, voluntas
prior esset intellectu, vel intellectus nullam sibi
adiunctam voluntatem haberet, ~~sed~~ filius non gigneretur,
sed hoc dici non potest, nam eo filius est quo verbum.
Non est autem per accidens quod verbum ab intellectu
procedat, neque eo solum per eum procedit, quoniam
intellectus voluntate prior est, aut voluntatem sibi
adiunctam habet, sed si per impossibile intellectus
voluntate posterior esset, aut nulla foret voluntas,
nihilominus verbum ab intellectu procederet. Idem
vrgeri potest, de spiritu sancto scilicet per accidens
esse quod non sit genitus, nempe quia volitio intellec-
tione posterior est, eundem filium fore, si per
impossibile volitio praecederet intellectionem; quod
quis dixerit, nam in viuentibus corporeis, facultas
generatiua per se talis est, siue alias facultates,

nutritiuam scilicet et augmentatiuam praecedere siue subsequi cogitetur.

Confirmari potest conclusio nostra ex sensu patrum florentini concilij, qui graecos confitentes secundam personam filium esse, et tamen non esse foecundam ut quae non spiraret spiritum sanctum, hoc argumento non redarguerunt, quod si foecundam non acciperet naturam á patre, filius non foret, sed haud scio sit ne haec valida ratio; Nam dicet aliquis patres non esse usos hoc argumento, quoniam solum est probabile, argumenta vero probabilia in concilijs non congeri ad refellendos errores. Miror tamen, si ut putat, contraria sententia, sanctus basilius in eo rationem ponit, naturam foecundam accipiat, quomodo in concilio omissum sit sumptum ex eodem basilio argumentum ut saltem hoc probaret 2am personam filium non fore, nisi foecundam á patre naturam acciperet, et proinde spiritum sanctum ab eo procedere.

Obiectionum
Solutio.

Obijcitur sanctus basilius cit. cap. 22o contra Eunomium ubi dicit spiritum sanctum filium non dici, non quia non est ex deo per filium sed ne trinitas filios ex filijs habere, suspecta, ut est in hominibus, infinita putetur multitudo. Sed haec ratio infirma esset, nisi de ratione filij foret naturam unam foecundam accipere. ergo.

Nego minorem. nam sti basilij mens est, si spiritus sanctus vocaretur filius, futurum ut quia priori

filio contingeret habere filium, sive id de ratione filij foret, sive non, secundo quoque filio, tertius filius, et sic deinceps competere cogitaretur, cogitaretur inquam rem istam veluti populariter expendenti, licet si expenderetur accuratius, excludi posset ille progressus exterior, quoniam duobus principijs scilicet intellectui et voluntati duo solum filij assignandi essent. Ideo scribit, non quidem ne trinitas haberet, sed ne suspecta esset habere filios ex filijs. Ibi sanctus basil. non tam expendit cur spiritus sanctus non sit, quam cur non dicatur filius, agnoscit enim cap. 11o et 12o, utrumque et verbum et imaginem et filium dici posse, quoniam et homines iusti, filij adoptivi sunt, et vocantur, unde quaerit ab Eunomio cur non saltem eo modo sit dictus filius, quo dicuntur homines sancti, cum ius melior sit; monet tamen non esse dictum a scriptura, atque ideo non dictum ne et 3us filius, et plures in divinis esse putarentur.

Objicitur 2o per id filius divinus in ratione filij constituitur per quod habet similitudinem cum patre quam non habet spiritus sanctus, et per foecunditatem habet peculiarem similitudinem cum patre, quia foecundus est filius, non est foecundus spiritus sanctus, ergo filius eo filius est quo naturam foecundam accepit.

Distingo maiorem: si illud sit quid 1um concedo, si quid secundarium tantum nego. Ad 1um illud quod habet filius est similitudo in natura vi possessionis. habere vero naturam foecundam est quid veluti secundarium, quod supponit filium

Constitutum in ratione filij, sic In humanis filius claudus et Claudo parente natus non magis filius foret, quam qui claudus non nasceretur.

Instas vis Spirandi est gradus pertinens ad naam diuinam, ergo si filius In ea similis sit patri maior. Erit Eius Cum patre quam Spiritus sti Illius similitudo In Eo quod primum est.

distingo antecedens vis Spirandi Essentialiter. Et remote sumpta Concedo, Notionaliter et proxime nego et nego Conseq. Nam Spiritus Sanctus aeque similiter In vi Spirandi radicaliter et remote quae si volumus Concipietur vt gradus ad Essentiam pertinens. Esto non sit aeque similis In vi Spirandi sumpta notionaliter, quae est aliquid 2rium et Essentia posterius.

Instas iterum, quidquid de deo dicitur, de Eo praedicatur In quid Ex Sancto anselmo In Monologio Cap. 16o, Ergo et de filio dei dicitur In quid vis Spirandi notionaliter seu Spiratio actiua. adeoque ad Eius Essentiam pertinet.

distingo antecedens In quid Identice et maaliter quod quidquid In deo est fit Eius substantia, illique identificetur Concedo, formaliter, quasi sit de praecisa Illius ratione nego, Eo sensu Spirão actiua de patre dicitur In quid, quod paternitas et Spiratio actiua sint quid idem materialiter, quamuis Eo formaliter non sit pater, quod actiuam Spirationem habeat.

Instas 3o non potest actiua Spiratio non pertinere formaliter ad filium diuinum, ergo de Eo dicitur

in quid, non solum identice sed etiam formaliter

Distingo antecedens ad filium adæquate sumptum ut filius est et spirator et complectitur simul terminum generationis et spirationis principium concedo sumptum præcise ut filius est et terminus generationis nego. hic vero de filio præcise sumpta disputatur.

Obijcies 2° Illud est de ratione filij quod omni filio convenit, sed omni filio convenit fœcundum esse, divino quidem ut constat, creato vero, quoniam eo ipso quo vivens est potentiam generativam accipit. ergo, ac proinde spiritus sanctus eo non erit filius quia fœcundus non erit.

Distingo Minorem omni filio convenit fœcundum esse remote concedo, proxime nego, nam ut diximus vere dicitur unus et tamen naturam proxime fœcundam non accipit. Idem dici potest de alijs animalibus quæ nascuntur ex coitu diversarum specierum, nam videtur id cavisse natura ut sterilia sint monstra, ne detur in ijs infinita multiplicatio, adeoque hic distinguendum inter potentiam remotam et potentiam proximam, Illa quoniam vel est gradus essentialis viventi, vel potentia fluens ex eodem gradu, id omne sequitur quod genitum est. hæc quia non est ille gradus vel potentia ex eo fluens, sed aliquid ei superadditum necessario non sequitur quidquid fuerit genitum.

Ex quo patet nihil quicquam urgere quod dicitur filij nomen 1° impositum esse filio creato, adeoque

In filio diuino ut dicatur filius reperiri debere quod In Creato reperitur, si nullam aliunde cum deo repugnantiam Inuoluat; In filio vero Creato reperiri hoc perpetuum quod naturam foecundam habeat, Nam ut nomen filij 1° Supponatur Impositum filio Creato (quanquam suspicari quispiam posset prius ab adamo nominatum esse filium diuinum, quam ullum filium genitum haberet, ut Colligi nonnulli putant Ex illo Apli ad Ephes. 3° Ex quo patre diuino, omnis paternitas In Coelis et in terra nominatur. ut fateatur reperiri debere In filio diuino quod reperitur In Creato. Certe non reperitur In omni Creato filio quod proximé foecundus sit, unde ut sicut Extra Conditionem filij Est In Creatis quod proximé foecundus sit, Id fit quia gradus viuentis Coniunctus Est. Cum tali differentia quae foecunditatem suum in actum erumpere permittat; alias omnis filius proximé foecundus Esset, qui tamen non Est proximé foecundus, quia talem habet differentiam vel talia impedimenta quae foecunditatem suum In actum non sinant Erumpere, sic Extra Conditionem filij sit in diuinis quod sit proximé foecundus sed id fiat solum, quia nundum terminus omnis diuinae foecunditatis positus Est, adeo ut si per Impossibile intellectio volitione posterior Esset, filius vero nihilominus filius foret, et tamen naam foecundam non acciperet.

Quod si per gradum viuendi haberet filius In Creatis ut proximé foecundus Esset, Jam id ipsum reperiri non deberet In filio diuino, quam neque Essentia dei, neque Eius Intellectus et voluntas Exclusa relaoe, proximé foecunda Est, quasi per se solam Erumpat in actum secundum.

Punctum 2dum

Utrum filius sit genitus quia per Intellectionem actualem sub ratione ultimæ differentiæ procedit.

hæc est 2a ratio quam afferunt Suarez lib. 11o de Civit. Cap. 6o numero 14o, aliique recentiores docentes Ideo filium genitum esse quia per Intellectionem, quæ est differentia aut quasi differentia ultima divinæ essentiæ, eandem intellectionem formaliter accipit, quæ doctrina videtur hæc tria continere, 1um filium esse genitum, quia solam ultimam essentiæ divinæ differentiam accipit formaliter. 2um filium eo solum differentiam illam accipere, quoniam principium eius processionis est ipsa dei differentia. 3um eandem differentiam esse Intellectionem actualem. hæc tria ac 3um præsertim refellenda sunt. Sit

Prima Conclusio. filius eo genitus non est quia solam ultimam essentiæ divinæ differentiam formaliter accipit.

Probatur quia generatio eo quidem tendit ut generans ultimam suam differentiam genito formaliter communicet, tamen alios quoque gradus formaliter communicandos spectat, tendit enim in similitudinem naæ ad quam pertinet, non ultimæ

tantum differentiæ, sed aliorum quoque graduum Communicatio, Ergo filius non eo genitus est quia solam ultimam Essentiæ divinæ differentiam formaliter accipit.

Non Nego spectari præcipuè ultimam differentiam Communicandam, attamen nolo alios gradus veluti genericos solum naturaliter Communicari, Nam hominis generatio eo tendit ut formaliter Communicet, gradus rationalitate superiores, quamvis rationalitatem præcipuè Communicet.

2a Conclusio, quamvis id per quod procedit filius non esset ultima differentia, nihilominus ultimam differentiam acciperet.

Probatur quia ut acciperet ultimam differentiam satis esset quod id per quod procedit, esset vel principium quo proximum generationis, vel ipsa generatio, sed esset vel principium proximum generationis vel ipsa generatio, quamvis non foret ultima differentia, ergo perinde acciperet ultimam differentiam, sic homo genitus ultimam recipit generantis differentiam, quamvis potentia generandi vel generatio non sit ultima eius differentia, Nempe satis est quod sit in supposito talem habente ultimam differentiam.

Quod si tamen intellectio actualis supponeretur esse ultima differentia, eo facile intelligeretur Communicari filio eadem ultima differentia, quia per intellectionem actualem procedit. Nam sicut pater est ipsum intelligere obiectum, sic verbum est obiectum intelligi, quod et docet sanctus Th. sectione 4a contra gentes Cap. 11o. Intelligi vero, sine intellectione actuali concipi non potest, sicut

nec Intelligere, Cum Intelligere Et Intelligi a se non differant, nisi quod hoc ut passio, Illud velut actio Concipitur, Et si Eidem Intellectioni actuali quæ Esset ultima differentia Competeret simul Esse principium generandi vel Ipsam generationem, facile quoque per Eam non sola differentia, sed omnes gradus Essentiales dei Conciperentur formaliter Communicari filio, sicut nunc homini genito per potentiam generativam Et generationem Communicantur omnes gradus Essentiales hominis generantis, adeoque ut non postulat principium proximum generationis, vel ipsa generatio ut sit ultima differentia, ita neque si Esset quicquam repugnaret.

2a Conclusio Intellectio actualis non Est instar ultimæ dei differentiæ.

Probatur 1o Id Indicant patres, sanctus chrysost. homilia 1a de Incomprehensibili dei naa, non a sapientia substantia Est, sed Ex substantia sapientia Est. Sapientia vero In Ea sententia quam oppugnamus Est intellectio actualis. Stus damasc. lib. 1o de fide Cap. 4o quæcunque Inquit de deo per affirmationem dicimus, non Ipsius naam sed quæ sunt Circa ipsius naam ostendimus. Ita sive bonum, sive Justum, sive sapientem, sive quidcunque tandem aliud dicere libeat, non dei naturam, sed quæ naturæ Insunt Exponit, Et Cap. 12o Cum Notasset deum dici ἀπο τοῦ θέασαι quod omnia prospiciat addit hoc nomen non declarare quid deus sit, sed tantum operationem Eius declarare, scilicet Cognitionem vel Intellectionem actualem, quæ proinde quid deus sit non declarat, quod

Est non Esse Ultimam dei differentiam.

Probatur 2° Ex S^to Thoma, quo iudice decidi hanc Controuersiam ne aduersarijs quidem displicet. Is quaestione 19^a huius partis Initio, post Conside rationem inquit Eorum quae pertinent ad dei substantiam, Considerandum Est de ijs quae pertinent ad operationes, ad Scientiam Et Voluntatem, Vbi operationes Et Scientiam ipsam, adeoque Et Intelle ctionem actualem dei Substantia posteriorem facit, qstione 26^a art. 2° In Corpore, In deo inquit non Est aliud Esse, aliud Intelligere 2um rem, sed tantum Intelligentiae rationem, Vnde ad 1um fatetur quod deus sit beatus secundum Essentiam, non autem quod beatitudo Ei Conueniat, secundum rationem Intellectus. qstione 41^a articulo 4° ad 3um ponit raonem potentiae scil. actiuae In deo respectu actuum Intelligendi Et Volendi quos ab Eadem potentia distingui docet non re, sed 2um modum Intelli gendi Et significandi tantum, adeoque non Vult Eosdem actus secundum rationem Esse dei potentiam, Nec proinde dei Essentiam Cum potentia Vel sit dei Essentia puta si remota sit, Vel eam Compleat si remota fuerit. qstione 2^a de Veritate articulo 1° ad 1um Cum inquit In deo 2um rem non distinguatur Scientia Et Essentia nisi 2um modum Intelligendi Vbi Vult Scientiam 2um rationem Essentiae, aliquid tamen addi Essentiae, Eandem doctrinam habet ad 2um Et in primum distinct. 2^a qstione 1^a.

Probatur 2° ratione multiplici.

Prima Est Intellectio actualis non Est Essentialis deo, ergo neque Est Instar Ultimæ differentiæ; hæc enim modum nostrum Intelligendi, non secundum rem Expendimus.

Antecedens probatur. tum quia quod Est Essentiale deo dicitur radix proprietatum dei, sicut gradus Essentiales hominis sunt Quasi proprietatum radices; at Intellectio actualis proprietatum divinarum radix non Est, non Immensitatis, quia cum dicat donum Immensum Esse, quoniam Intelligit, Idem dico de Scientiis, non Solitionis, Nam radix agit per Calorem, amina per Intellectum, Et radix, Quia per Calorem amina per Intellectum, Sed Intelligere non agit per ipsum Velle, aliud Spiritus Sanctus haberet ipsum Intelligere pro principio quo saltem remoto, quod Est Contra Sanctos patres, Et Theologos, qui Spiritum S.ti processionem non Intellectum sed Solitum assignant. Tum quia si Intellectio Essentialis Esset filii Productio, haberet Essentiam pro Immediato principio Et proximo. Sed hoc falsum Esse docent Theologi Communiter Contra durandum Vel Scotum quam durando tribuitur, de qua non articulo 1° Sectione 4ª Spiritus Sancti remotior ad Essentiam Esset, quam filius, Cum tamen Theologi aque Utrique principium quo remotum, quo sua processionis proximum assignaverint. tum denique Cum Vulgo dicitur dei Essentiam In Cognitione divina Esse Instar Speciei Impressæ, Sed hoc falsum Esset si Cognitio sive —

Intellectio actualis foret Essentia Dei vel ultima differentia, nam Essentiam se habere Instar Speciei Impressæ, Est se habere antecedenter ad Cognitionem ad quam antecedenter se non haberet si foret ipsa Cognitio seu Intellectio actualis. Eodem refertur quod Essentia dicitur Esse medium, Imo deus Cognoscit omnium Creaturarum quidditatem, ergo Intellectionem actualem antecedit.

2a Est. Volitio actualis dei æque Essentialis est deo atque intellectio actualis, sed prior Essentialis non Est ergo nec posterior.

Maior probatur, nam ut se habent In Creatis radix Intelligendi Et radix volendi, Ita 2um adversarios se habent In divinis intellectio actualis Et volitio actualis, quod enim sumptum In radice Essentiale Est In Creatis, hoc sumptum in actu volunt in divinis Essentiale Esse, Et sic qui Est ordo In Creatis inter radicem Et radicem, idem Est in divinis Inter actum Et actum, sed In Creatis radix volitionis actualis æque Essentialis Est, atque radix intellectionis actualis, quanquam Enim natura Intellectualis Creata definitur Communiter per ordinem ad Intellectionem tanquam priorem, ac notiorem operationem, tamen minus Essentialiter volitiva non Est in radice quam Intellectiva, ergo volitio actualis æque Essentialis Est deo, atque Intellectio actualis.

Neque dicas Id quod actuale Est in divinis Esse quidem Essentiale sicut id quod radicale Est In Creatis Essentiale Est, si modo illud actuale

sit quid primum, volitionem vero non esse quid primum cum intellectionem actualem præsupponat. Nam 1° diceret aliquis sicut inter actualem intellectionem et actualem volitionem in divinis est aliquis ordo, ita posse distingui aliquem ordinem in creatis inter radicem intelligendi et radicem volendi, ut hac ratione posterior esset. 2° quod volitio sit posterior non impedit quominus sit essentialis, sicut in compositis ex materia et forma, hæc non desinit essentialis esse quamvis sit posterior. Neque hoc solum ubi materia communis, sed etiam ubi propria est composito, ac proinde ubi aliquid proprium præsupponit, ut fit in coelis, si ut fert satis communis sententia physicorum sua cuiusque coeli propria est materia, quod si ita non est, certé fieri non repugnat, quod toties potest contingere, quoties aliquid necessario pertinet ad rem et ab alio tanquam proprietas non fluit. tunc enim quod prius esset, rem solum inadæquaté constitueret.

Quid si volitio non per modum reciproci adveniret intellectioni actuali, nam tunc esset ulterior differentia quam eadem intellectio et proinde hæc ultima non foret, id vero nonnullis physicis placet, sicut dantur sensus quibus non respondeat appetitiva potentia tanquam propria, quales sunt externi, ita posse absoluta dei virtute dari creaturam intellectivam quæ non exigeret appetitivam potentiam intellectui

respondentem, quod tamen alii negant, quia rei cuilibet appetitus respondens natura debitus est, id tamen si verum esset radix volendi foret differentia determinans radicem intelligendi, atque adeo volitio actualis in deo respectu intellectionis actualis differentia rationem obtineret.

2a ratio datur gradus ultimo constitutivus essentia divina distinctus ab intellectione actuali, et ea prior secundum nostrum loquendi modum, ergo intellectio actualis non est differentia aut quasi differentia ultimo constitutiva essentia divina.

Antecedens probatur duplici modo.

Prior est gradus vivendi deo proprius qui est radix intellectus divini, et ultimo constit ultima divina essentia, estque prior intellectione actuali, Ergo.

Est constitutivus nam sicut alia vivencia constituuntur per gradum vivendi sibi proprium qui sit principium facultatum ad eadem vivencia pertinentium, sicut angelus et homo habent sibi proprium vivendi gradum quo constituuntur, quique sit principium actus angelici et humani, sic et deus summum vivendi gradum habet, qui divini intellectus principium sit, quid sit ille gradus accurate definire nostrum non est, quoniam fere latent nos ultima rerum differentiae, quanto magis dei, solum quem concipimus et principium et radicem intellectus comprehensi

adeoque et Comprehensiua Intellectionis quae oem
Etiam dei Intelligibilitatem adaequet.
Est prior Intellectione actuali, Nam sicut In
angelo et homine haec tria distinguntur, —
Intellectio actualis, Intellectus et differentia,
quae est principium et radix Intellectus, quid
ni et in deo. nam Illa differentia In angelo et
homine prior est Intellectu et Intellectione actuali
ergo et dei differentia iis prior est.

Erit quidem hoc discrimen quod In Communiore
sententia et Intellectio ab Intellectu et intell
ectus a differentia quae Eius principium, distin
guantur a parte rei, In deo vero Non item.
Satis est autem quod Eadem distinguantur —
virtute et secundum nostrum Intelligendi
modum, quomodo distinguntur Inter se attributa
et ab Essentia, nempe sicut attributa distinguntur
virtute, quia licet sint una simplexque perfectio
tamen id praestant quod in nobis plures perfect
iones re distinctae, sic et virtute distinguimus
Intellectionem diuinam ab Intellectu et Intell
ectum a differentia quae Eius principium est,
quoniam licet sint una simplexque Entitas,
tamen id praestant quod In nobis plures Entitates
pluresque perfectiones distinctae realiter.

Posterior est. gradus Existendi a se est
ultimo Constitutiuus diuinae Essentiae, Estque
prior Intellectione actuali. ergo
Est ultimo Constitutiuus, tum quia s^tus Thomas

1ª parte qstione 3ª art. 7º dicit Essentiam dei Esse suum Esse, Ideoque deus Exodi 3º Ego sum qui sum; tum quia Existere á se Est In deo radix aliarum dei perfectionum, Immensitatis æternitatis Et similium; tum denique quia gradus Ille Est Ultimo Constitutivus Essentiæ divinæ qui distinguit Essentiam divinam ab omni alio Ente, sed talis Est gradus Existendi a se, nam res Cæteræ sunt ab alio, sive tanquam a Causa, Ut Creaturæ omnes quæ dependent a deo, sive tanquam á principio producente Ut filius divinus á patre Spiritus Sanctus a patre Et filio, sive denique tanquam a radice Et principio virtuali quomodo attributa absoluta Et paternitas sunt ab Essentiá divina.

Et hæc ostendunt duo, alterum Est gradum Existendi a se, non Esse veluti genericum, ostendunt Enim gradum Illum aliis rebus Communem non Esse, Et deum a rebus Coeteris distinguere alterum Convenire ~~cum~~ Essentiæ divinæ, non solum Ut Cum Creaturis, sed Etiam Ut Cum suis attributis Comparatur, Neque enim hæc Existunt á se, saltem Eo modo Quo Essentia Cum principium habeant vel a quo producantur, vel a quo velut Emanent.

Est Etiam prior Intellectione actuali, nam Intellectio actualis posterior Est Intelligendi gradu, gradus autem Intelligendi, vel Est posterior Existentia a se, vel Ut summum simul Cum Ea.

Coterum si prior antecedentis nostri probandi modus arrideat, non solum deus constituetur quod sit Ens a se, sed et quod sit substantia a se quod vivens a se, sine tali substantia et tale vivens. Et tunc perfectiones quae important substantiam et vivens, non fluent a gradu — existendi a se instar proprietatum, sed erunt unus veluti gradus cum eo, et cum eo unam divinam constituent, eo fere modo quo dicimus radicem intelligendi et volendi in creatis — constituere naturam intellectualem, quod — ita concipi necessarium erit, quoniam ratio substantiae et ratio viventis sunt essentiales deo, et licet in creatis substantia determinet Ens creatum, et vivens substantiam, tamen non se determinabunt invicem in divinis, nec latius patebit Ens a se, quam substantia a se et vivens a se, cum aque ultimo deum constituant, sintque reciproca, et unum ab alio non fluat, quo differt gradus viventis a se collatus cum existentia a se, ab intellectione actuali collata cum volendi gradu, a quo tanquam actus et proprietas fluere concipitur.

Sin autem, placeat posterior modus, unus gradus essendi existendi a se deo essentialis erit, et non modo attributa quae vocantur sed etiam alii gradus qui essentiales sunt, in nobis erunt instar proprietatum ab eodem existendi gradu fluentium, et in eo tanquam in radice continebuntur.

quod ita se habere in deo mirum videri non debet, cum primum Esse dei recte intelligatur et radix omnium perfectionum, nec sit necesse gradus addi gradibus ad illud complendum, cum e contra primum Esse creatura, quia imperfectum est, per alios atque alios gradus compleri postulet.

Obiectionum solutio.

Obijcitur 1° Sanctus aug. 15. de Trinit. cap. 6° deus inquit est sua sapientia quia non est aliud sapientia eius, aliud essentia, ergo intellectio actualis est differentia ultima constitutiua diuinæ essentiæ.

Distingo ant. deus est sua sapientia siue actualis, siue radicalis in sensu reali concedo in sensu uirtuali distingo, radicalis siue et gradus concedo, actualis nego. Sanctus aug. loquitur in sensu reali, quomodo cap. 2° citati libri, et sapientiam, ita et potentiam iustitiam uoluntatem ac demum quidquid de deo dicitur, ait dici secundum substantiam et existentiam si loqueremur in sensu uirtuali, sapientiæ nomine posset intelligi sapiendi gradus, qui quomodo dici possit essentialis ante explicauimus.

Obijcies 2° Stus Th. qstione 14a art. 4° et hac qstione 27a articulo 2° et alibi passim dicit in deo idem esse et esse et intelligere

ergo

Distingo antecedens eodem modo, In sensu identico concedo, In sensu virtuali nego, Nam 1° Sanctus Thomas qstione 19.ª articulo 1°, sicut inquit suum Intelligere est suum esse, ita et suum esse est suum velle, et tamen adversarij nolunt volitionem In sensu virtuali esse deo essentialem, et qi contra gentes cap. 7° dicit substantiam dei esse ipsum eius Intelligere, quoniam intellectus divinus non solum est in actu sed etiam est actus purus. quod aeque convenit actui voluntatis ut actui Intellectus. 2° Sancti Thomae loca superius a nobis citata ostendunt manifeste Intellectionem actualem essentialem non esse in sensu virtuali, et eiusmodi clarissimum quod ex qstione 26ª articulo 2° requirimus, In deo non est aliud esse aliud Intelligere secundum rem sed tantum secundum naturam.

Instas Sanctus Th. Indicat quod esse in deo non est aliud quam Intelligere non solum in sensu identico, sed etiam virtuali, Nam citata qstione 14ª articulo 8° asserit Intelligere dei esse causam rerum, quia eius esse est eius intelligere, quod si In sensu identico dictum esset, perinde relationes dicerentur causa rerum, quoniam esse dei In sensu identico et reali est quid idem cum relationibus, et hac qstione 27ª art. 2° In corpore probat processionem

verbi Esse, secundum rationem similitudinis, quia processio Intellectus Est similitudo rei intellectæ, Et verbum In Eadem natura Existere quia In deo Idem Est. Esse Et intelligere, quæ ratio non satisfaceret nisi loqueremur In sensu virtuali, quoniam Et sic Spiritus Sanctus proinde In Eadem natura Existeret ut verbum quia dei velle, Est ipsius Esse subiectum In sensu identico. ergo

Nego antecedens. Nam Sanctus Th. priore loco vult Esse rerum causam per Intelligere, ut distinguat deum a rebus quæ per Intelligere non operantur, ad quod sufficit ut Esse sit Intelligere In sensu Identico, cum id sufficienter ostendat deum Esse agens per Intellectum; Eodem argumento uti posset ad ostendendum quod deus sit causa rerum per suam omnipotentiam, quia suum Esse Est sua omnipotentia, quæ tamen solum identicum sensum contineret.

Posteriore vero loco vult solum non deesse processioni filii ut Existat In Eadem natura In qua Existit persona á qua procedit, Idque probat quia idem Est intelligere Et Esse dei, ad quod sufficit, ut sit idem In sensu reali, nempe ista natura. Non Intendit probare quod filius sit similis In natura vi processionis, sed tantum quod patris naam habeat, Ut Eum in ratione verbi distinguat a Verbo Creato, quod Eandem cum Eo a quo procedit naturam non habet. Id patet Ex

Responsione ad secundum, ubi dicit verbum nostrum non esse eiusdem naturae cum eo a quo procedit, quoniam intelligere in nobis non est ipsa substantia intelligendi, cum e contra verbum in divinis procedat ut eiusdem naturae subsistens, quoniam intelligere divinum est ipsa intelligentis natura. Eadem ratione usus esset ad probandum quod Spiritus S.tus eiusdem sit substantiae cum patre et filio seu quod ipsum esse dei sit eius velle, et tamen tunc in sensu tantum identico, non in virtuali locutus fuisset. Nam articulo 4° ad 1um dicit hoc esse commune filio ~~quod~~ Spiritui Sancto quod sint quid unum in divina natura, ubi vero explicat cur filii processio sit generatio, Spiritus Sanctus non item, rationem hanc non affert quod intelligere sit esse dei, sed quod alia sit processio secundum rationem intellectus, alia secundum rationem voluntatis, quomodo quoque citato articulo 2° distinguit inter processionem filii et Spiritus Sancti, quod ille procedat ut similis sit formaliter ei a quo procedit, hic non item, nempe quod filius per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem procedat.

Obijcies 3° Vita sive intellectio actualis est summa perfectio dei ergo est eius differentia ultima.

distingo antecedens, Est Summa Inter perfectiones quæ sunt instar proprietatum Concedo, inter perfectiones Substantiales nego, Nam sicut in homine datur Intellectio radicalis quæ est Substantialis perfectio Constituens hominem sic Et in deo Intellectio radicalis Est instar Substantialis gradus Ultimo Constituentis deum. Actualis vero Intellectio Est instar proprietatis Ex illo Substantiali gradu fluentis.

Instas Existentia actualis Est Essentialis gradus Essendi, Ergo Et intellectio actualis Intelligendi gradus Essentialis Est.

Nego Consequens. Nam 1° Subsistentia actualis non est Essentialis gradus Substantiæ, ergo neque intellectio actualis intelligendi gradus. 2° Existentia actualis Essentialis Est Essendi gradus, quia si quasi accidentalis Esset, deberet reduci Esse dei per aliquid ad Existentiam actualem, sicut Creaturæ, quoniam non Existunt Essentialiter suam aliquando Existentiam recipiunt. Id vero divinæ perfectioni repugnat. Et si in deo distinguas Intelligere actuale a radicali, dans aliunde reduci non debebit ad actualem intellectionem, sed in eam per se erumpere cogitabitur, sicut puro Existendi erumpit in suam Intellectionem

Instat iterum saltem imperfectio in deo Et quod sit in potentia ad Intellectionem

actualem, ergo hæc tanquam essentialis concipi debet.

distingo antecedens, quod sit in potentia includente priuationem actus concedo. secus nego: at deus non sic constituitur per intellectionem actualem, ut habeat priuationem actualis, licet radicalis ~~constituatur~~ concipiatur ut radix et principium actualis intellectionis, sic imperfectio non est in deo, quod eius essentia sit velut in potentia ad volitionem et alia attributa, quoniam actualitatis eorum priuationem non habet, sed tantum concipitur ut eorum radix et principium.

Ex his colligitur non eo præcisè spiritum sanctum non esse genitum, quoniam per intellectionem actualem sub ratione ultimæ differentiæ non procedit.

Punctum 3um
Utrum filius sit genitus quia procedit ut imago patris.

Tertiam rationem proponunt Joroes, Episcopus Canariensis hac qstione articulo 2o. et Vasques disput. 113a. cap. 7o filium genitum

Esse non Eo solum, quod Eandem cum patre
naturam habeat, sed quod sit Imago patris
Eandem rationem amplexi sunt, alij recentiores
Eamque non erudite minus quam subtiliter
Explicarunt.
Quatuor autem requirunt ad Imaginem naatem.
1° ut imago ab Eo procedat cuius Imago Est.
2° ut Eandem habeat Numero vel Specie
saltem naam cum suo Exemplari. 3um ut
secundum aliquid discrepet a suo Exemplari.
4° ut illud repraesentet actu aut virtute
non tantum secundum speciem sed etiam
secundum omnes Eius proprietates singulares
et personales, quam re praesertim rationem
Imaginis etiam naturalis ponunt. Itaque In
filio ab unitate naturae etiam vi processionis
accepta distinguunt rationem imaginis, et
filium divinum genitum esse volunt, quia
praeter similitudinem in natura, proprios
patris divini Caracteres repraesentat; hoc illi
Competere quoniam procedit per Intellectum
Estque verbum paternae mentis, et verbum
procedit ad repraesentandum obiectum, ut proinde
cum pater Ipse sit cognitionis suae obiectum
per suum verbum repraesentari debeat, illud
ipsum vero non Competere spiritui sancto, ut
qui sit voluntatis terminus, qui suum obiectum
ac proinde proprios Eius a quo producitur
Caracteres repraesentare non postulat. fundamenta

rationis Istius Expendemus In obiectionibus. nunc sit.

Unica Conclusio. filius non Ideo genitus quia imago, quatenus Imago distinguitur à similitudine In natura, Nec proinde Ex Eo quod proprios patris Caracteres sive proprietates personales repræsentat.

Probatur 1° Ex S^to Thoma Illam repræsentationem Caracterum non pertinere ad rationem filii, sed tantum similitudinem in natura scilicet formaliter Et vi processionis, sic Enim scribit sanctus doctor libri 4^i Contra gentes Cap. 4°. non Enim sic Esse imaginem alicuius Ut Eiusdem naturæ Cum illo sit, In aliquo Invenitur, qui filius dici non possit, quomodo hoc In viventibus accidat, Nam quod procedit Ex aliquo vivente In similitudinem speciei dicitur filius Eius. Et 3^a parte qstione 32^a artic. 3° ad 1um Ideo vult christum Esse filium beatissimæ virginis, Non spiritus sancti, quia Conceptus Est de Maria Virgine Materiam ministrante, In similitudinem naturæ, Et licet sit Conceptus de spiritu S^to sicut de activo principio, non tamen 2um speciei similitudinem.

Probatur 2° Aliquot rationibus.

1^a Est. ratio generationis Essentialiter non

postulat aliam similitudinem quam in natura, Ergo filius non Ideo Est genitus quia repræsentat Characteres personales patris.

Antecedens ostenditur Ex definitione generaõis Est Enim origo viventis a vivente principio Coniuncto In similitudinem naturæ. Nam similitudo naturæ non dicit repræsentaõem Characterum personalium.

Nec satisfacit quod quidam observant 5tum Thomam qstione 27a articulo 2o docere quod verbum procedat secundum rationem similitudinis quia Conceptio Intellectus Est similitudo rei Intellectæ, Et In Eadem naã Existens quasi velit aliam Esse similitudinem rei Intellectæ ab Ea quæ Est in natura. Nam Sanctus Th. per similitudinem rei Intellectæ non intelligit repræsentationem Characterum personalium quam non anteponeret Existentiæ In Eadem natura, Cum Ea posterior sit, Ut indicat articulo 4o ad 1um ubi quasi prius Et Commune ponit, quod quidquid Est In divinis sit quid unum in natura divina, sit huius propria aut Illius processionis ratione vult attendi secundum rationem Intellectus Et voluntatis Ut Jam observavimus, sed Intelligit similitudinem generaliorem, quæ per Id quod sit In Eadem natura determinetur ad Eam

Similitudinem quam generatio postulat.
Confirmatur hæc ratio, similitudo quæ superadditur In Creatis similitudini In natura est in re mere accidentali, ergo non potest ad generationem pertinere.
Consequens clarum Est, quia generatio terminatur ad substantiam ac proinde Extra Eius rationem Est similitudo In re accidentali.

Antecedens declaratur E. g. filius regis præter similitudinem secundum speciem ob quam Sanctus Th. Citata qstione 93.a art. 2o dicit Imaginem regis Esse in ipso, nihil habet præter similitudinem in lineamentis vultus Et similibus, quam Enim prætereat? an similitudinem In Existentia, vel differentia numerica vel subsistentia? Et hoc non, — Cum ista In patre Et filio se totis differant, nec detegi possit quid differentiæ numericæ patris, differentia numerica filii, vel Intentionaliter vt clarum Est, quia non pertinet ad Intellectionem, vel naturaliter repræsentet, maximé Cum hic filius Cum hac differentia Numerica ab alio patre Esse potuerit.

2a filius divinus vel per aliquid prius repræsentatione Characterum personalium, filius Est, vel nullatenus Est filius, ergo per id quod repræsentat characteres personales non

Est genitus.

Antecedens probatur. Vel filius divinus formaliter et vi processionis accipit similitudinem in natura vel non. Si prius ut videtur Vasquesio, filius est in priori quam repraesentet Characteres personales. Si posterius ut insinuant aliqui, nullatenus est filius ergo. Minoris duae sunt partes.

Prior probatur, quia per id sufficienter intelligitur filius per quod eius processio distinguitur a processione Spiritus Sancti, sed eo distinguitur a processione Spiritus Sancti quod illa tendat in similitudinem, haec non item ut demonstrabitur sequente puncto.

2° ad generationem sumptam generalius ut abstrahit a generatione viventium et non viventium, sufficit ut id quod gignitur vi suae productionis procedat simile in natura producente, v.g. gignitur ignis ab igne, quum illi similis est in natura, vi suae productionis.

Ex quo sequitur quoniam Vasques vult filiū vi suae processionis similem esse in natura eum saltem generatione sumpta generalius genitum esse, quod si illa, ergo ex specialiori quoniam illi non deest ratio viventis, quae generationem in genere ad generationem strictius sumptam quae est viventium determinat.

posterior ostenditur, Ita nullatenus Est filius qui nullos gradus Essentiales recipit vi suæ processionis, Nam sive Caracterum personalium repræsentationem 1° Intendat generans sive non, semper Intendit gradus Essentiales, unde si non potest attingere repræsentationem Characterum personalium, saltem attingit similitudinem In specie ut fit in liberis patri difformibus, Et si gradum ultimum Essentialem non attingit, attingit saltem genericum, ut fit in generatione muli, ergo si filius divinus vi suæ processionis non Est similis in natura, non Est filius.

3ª Est ratio Imaginis quam volunt istius sententiæ authores, nihil speciale ponit, vel necessarium, vel sufficiens, quo filius sit genitus, Et non spiritus sanctus. Id enim tantum ponit quod procedat ad repræsentandum Intentionaliter sed hæc ratio non Est necessaria nam filius In Creatis non repræsentat Intentionaliter, Cum per Intellectum non procedat, Non Est sufficiens Cum verbum mentis nostræ repræsentat Intentionaliter Et tamen non Est filius, tum quia vel Iidem authores filium vocant Imaginem naalem Et Eo vocant filium quod sit imago naturalis ac proinde quod non Intentionalis tantum.

Nec dicas satis Esse quod ista repræsentatio

Characterum personalium supponat eandem naturam; Neque enim ideo minus est intentionalis, sicut in creatis repræsentatio temperamenti paterni, et lineamentorum eius vultus, minus accidentalis non esset, quod eandem specie naturam in patre et filio supponeret.

Neque etiam satis est ad imaginem naalem quod sit substantialis est, nam substantialis est solum velut extrinsecé, quia est in natura quæ sibi omnia identificat, non intrinsecé quasi ut procedit ab intellectu substantialis esse postulet. Et vero eo solum eam volunt spectare, ut exprimat personales characteres patris quas exprimit æqué sive substantialis sit sive intentionalis tantum. Nihil autem faceret ad rationem imaginis naalis quod extrinsecé tantum substantialis esset sicut neque ad rationem generationis explicandam ista ratio quidquam facit, quoniam ex citato articulo 2° ad 1um, ex parte unitatis qua in divinis omnia sunt unum, non potest accipi propria ratio, huius vel illius processionis divinæ.

Urgeri adhuc posset quod perinde spiritus sanctus repræsentat patrem et filium, ut filius pater, ac proinde sit imago, Nam cum relata simul sint cognitione, spiritus stus cognosci non potest, nisi et simul videatur pater. scio dici quod repræsentet solum in raæ relati,

Non in ratione Imaginis; sed hoc ostendit solum Eum non Esse Imaginem intentionalem, non ostendit non Esse Imaginem obiectiuam. quod hoc illi non desit quod procedat a patre et filio, satis Est autem quod sit obiectiua; tum quia Illa sufficit filio In Creatis, Et filius non postulat repræsentare Intentionaliter, tum quia nihilominus repræsentat in ratione relati quam si imago Intentionalis Esset, tum denique quia Imago Intentionalis Eo spectat magis ut repræsentetur res Cognita quam ut Eum a quo procedit magis repræsentet

Obiectionum Solutio.

Obijcies Verbum diuinum In suo Conceptu proprio quatenus ab Essentia distinguitur, nihil habet quo distinguatur a Spiritu S.to nisi quod repræsentet Characteres personales patris. ergo Eo genitus Est quod istos Characteres repræsentet.

Nego antecedens, Nam habet id proprium quod postulet Esse terminus naa vi processionis acceptæ, adeoque ut Cum natura sit accepta, Constituat filium qui patri sit in natura similis, Eumq. naturaliter repræsentet.

Neque Enim necesse Est ut alij quærantur caracteres In ratione verbi, sine Eius personalitate Ita Considerata, Nam Cum dicatur quoque repræsentare naam patris, non Esset satis

filio quod haberet eandem substantialiter naturam cum patre, nisi ut eam intentionaliter exprimeret, quod inutilissimum videtur, nec simile quicquam habet in filio creato.

Objicies 2° Nisi necessaria sit specialis illa caracterum repræsentatio, ad filium, nihil erit quominus ignis ex igne productus dicatur eius filius; ergo repræsentatio caracterum necessaria est.

Nego antecedens nam 1° dici posset filii nomen inventum esse ad significandum, non quodlibet genitum, sed genitum vitæ aut etiam cognitionis particeps: sicut placuit nomen personæ imponere solis naturis intelligentiæ compotibus, et generationis nomen peculiari modo productioni viventium tribuitur. 2° posset satis esse quod naa viventium, ac præsertim cognitionis capacium admittat diversitatem in genitis, ratione cuius unum ad alium procedere dignoscatur. quod non contingit in non viventibus, neque enim ignis productus admittit ullam diversitatem ratione cuius ab hoc potius quam ab illo igne procedere dignoscatur. quanquam ad raoem fidei pertinet solum quod naturam accipiat ab alio vi suæ processionis, non quod hoc peculiare habeat per quod illum repræsentet. 3° hoc diversum est inter genitum inanimatum et genitum vitæ, ac præsertim cognitionis particeps, quod illud non sit ex principio coniuncto

Nam ignis neque habet notam substantiam
ignis a quo procedit, neque substantia partem
ab eo decisam, at gemitum animatum ac
praesertim cognitionis particeps. Et ex principio
conjuncto, sive totalem patriae naturam nunc
ita sumptam habeat ut contingit filio Incre
ato, sive particulam tantum ut contingit —
filiis creatis, Deoque filium ita ut cognitionis
compos repraesentat patrem, non tam quoad
repraesentationem Intentionalem, quam quoad
naturalem quae sine Intentionali subsisteret
sicut repraesentatio similis sive Mordis, —
secundum quam filius repraesentat patrem
in ordine ad hereditatem capiendam repraesen
tationem intentionalem non postulat.

Objicies 2° patres, philosophus et galenus
postulant in filio repraesentacem characterum
personalium patris, ergo.

Respondeo implicem esse repraesentacem
unam substantialem qua est similitudo in
natura, vel ab ea sola existit, alteram —
accidentalem qua est repraesentatio accidentium
patri propriorum, quale est temperamentum,
qualis exterior forma et similia.
Isti patres, priore in filio divino contenti sunt.
Imo enim characterem et imaginem patris
volunt esse, quod ei similis sit in natura. Nam
sanctus Cyrillus dialogo 6° scribit filium
dici characterem paternae substantiae, quod per

ipsum et ipso naturam patris contemplari possumus. Et Sanctus Aug. qstionum In deuteron. qstione 4a de filio generatim, si autem, Inquit, patri filius similis sit, etiam imago recte dicitur, et post, quarum imaginum aliæ sunt eiusdem substantiæ sicut filius aliæ non eiusdem sicut pictura.

Neque aliud postulat Sanctus Athanasius In Epla de decretis Nycænæ Synodi, et Sanctus Anselmus In Monologio cap. 53o dum prior si eum inquit Imaginem nomines filium hoc ipso eam esse indicaveris, quid enim simile deo nisi sua progenies? posterior, sicut verbum inquit mox ut consideratur, se prolem esse eius a quo procedit, evidentissime probat, sic Amor aperte se prolem negat. Nam uterque de similitudine in una numero natura vi processionis accepta explicari potest, adeoque nihil aliud est apud eum filium Imaginem esse, quam similem in natura.

Quod si distinguerent Imaginem a similitudine In natura, non continuo eam poneret In repræsentatione characterum personalium sed In eo quod similitudo In naa veluti consequens habeat ut repræsentet, sicque filius diceretur cognosci ex eo quod esset imago, tanquam per aliquid consequens, ac veluti proprietatem, sicut ex eo diceretur homo cognosci quod risivus esset: quæ ratio aliquid solum ad naturam hominis consequens exprimeret.

Philosophus et Galenus postulant representationem characterum personalium, non ad rationem Essentialem generationis, sed ad accidentalem tantum; Nam sicut res quaelibet postulat accidentia quaedam quibus perficiatur, quae tamen Essentiam supponant. Ita generatio praeter id quod sibi Essentiale est, perfectionem Essentialem exigit, qualis est representatio proprietatum ipsius: atque hoc Aristoteles 2° de generac. cap. 3° dicit cum qui generat intendere suam similitudinem scilicet huius hominis et Corisci et Socratis et nisi suam attingat, niti imprimere similitudinem avi aut proavi, ita et semper ad propinquiorem tendat, et Galenus lib. 2° de semine cap. 5° tradit triplicem Generatorum similitudinem, secundum substantiam, sexum et effigiem, et eam a natura intendi. Explicant enim simul et quid Essentiale, et quid accidentale generatio intendat.

Instas Idem pphus citato loco, dixit cum qui similis parentibus non est, monstrum quodammodo esse, ergo dixit intendi similitudinem Nam ad substantiam generationis.

Nego Conseq. nam particula, quodammodo, quae diminutiva est, ostendit Nam similitudinem intendi solum et quid accidentale, neque enim diceret multum esse quodammodo monstrum scilicet quoniam speciem generantis non attingit, eo modo dicit filium monstrum esse, quo monstrum

Esset infans albus natus ab æthiope, aut æthiopus ab homine nostrate genitus. atque ita dicitur ad filium pertinere ut potius repræsentet patrem quam alium, quod Eius generationem hoc velut accidens sequatur, ut Eum specialiter repræsentet. quæ causa est cur filius similior matri quam patri, illius potius quam huius filius dicatur, quamvis utriusque substantialiter filius sit. Nam quod intrinsecum est filio, hoc solum est, quod vel totam patris substantiam vel Eius partem habeat, vel ab Eo procedat, et sufficeret similitudo in nãa cum processione, quamvis aliud nihil occurreret, Nam filius in Eo magis repræsentat patrem quam fratrem suum aut patruum, licet in Ea sententia quam oppugnamus, duo fratres, ut pote ab Eodem patre geniti perinde habere debeant paternos caracteres, et contingit Eos invicem similiores esse quam patri, in Eo inquam magis repræsentat patrem, quod a patre procedat.

Punctum 4tum

filium esse genitum quia vi suæ processionis scilicet per intellectionem patri similis est in natura spiritum stum e contra.

hæc Est postrema sententia, quam tuentur Caietanus, Capreolus, ferrariensis, Cannes, aliiq. thomistæ Communiter, ad quos alij plurimi Theologi accedunt, filium Esse genitum, quia vi suæ processionis per Intellectum similis Est patri In nāa. Sanctum vero Spiritum genitum non Esse, quia vi suæ processionis patri In nāa similis non Est.

Prima Conclusio. filius Est genitus quia vi suæ processionis per Intellectum patri similis Est in natura.

Supponit hæc Conclusio Eum qui genitus Est vi suæ processionis In nāa similem Esse debere, Et verum supponit 1º. quia id præfert definitio generationis, his particulis, In similitudinem nāæ, vt Explicauimus art. 2º.

2º quia nulla Est in rebus Creatis generatio quæ vi sua non tendat formaliter ad terminum similem producenti In natura; procedit autem terminus vi processionis, quod non Contingenter solum attingitur, sicut Contingens Est picturæ vultus Candidi, quod fit in lignea tabella nec materialiter solum, sicut ad Eius vultus naturam sese materialiter habet, quod Candor visum disgreget, sed hoc supposito probatur Conclusio.

1º Ex S.to Th. hac qstione 27ª art. 1º vbi manifestum Est inquit, quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto Conceptio Intellectualis Est magis Intima intelligenti Et magis vnum, nam Intellectus secundum hoc quod actu Intelligit

secundum hoc fit magis unum cum Intellecto unde cum intelligere sit in fine perfectionis, necesse sit ut verbum divinum, sit perfecte unum cum eo a quo procedit absque diversitate, ubi duo distinguit, et quod verbum procedat per Intellectum, et quod per Intellectum qui sit in fine processionis, quatenus procedit per Intellectum, similitudinem habet, quatenus per Intellectum qui sit in fine perfectionis, similitudinem habet in natura. Et articulo 4°, processio inquit quæ attenditur secundum rationem Intellectus est 2um rationem similitudinis, et hinc tantum patet habere rationem generationis, scil. si Intellectus sit in fine perfectionis, quia omne generans generat sibi simile; aliquid simile habet qstione 35a articulo 2° in Corpore.

2° Eo quo filius divinus per Intellectum procedit, habet ut similis sit patri et similis in natura, ergo eo genitus est quod vi suæ processionis per Intellectum similis in natura procedat. Consequens ex eo clarum est, quod nihil amplius necessarium sit ad generationem, quam ut quid vi suæ processionis simile procedat in natura, eoque genitum a non genito distinguatur, cum nec aliud postulet definitio generationis. Antecedens ut demonstretur.

Nota Intellectui omni id commune esse ut rei Intellectæ similitudinem producat, Ideo pphus 3i de anima cap. 7° tex. 36° docet Intellectum actu Intelligentem esse rem ipsam

quam Intelligit; quia scilicet actus intelligendi Exprimit in ipso rei Intellectæ imaginem, Et imago rei Est quodammodo res Cuius Est imago, Et Sanctus Th. 4i Contra gentes Cap. 11o, Unde inquit Intellectum, In quantum intellectum oportet Esse In intelligente.

Nota 2o Similitudinem quam producit intellectus duplicis generis Esse posse, pro diversa perfectione Intellectus, Nam si Illectus sit Limitatus solum Et accidentalis, similitudinem Intentionalem solum Et accidentalem producit, si sit Intellectus In perfectione qualis Est divinus, similitudinem Intentionalem simul Et substantialem producere postulat, Interea Intellectus ut abstrahit a limitato Et Eo qui Est in fine perfectionis, abstrahit quoque a similitudine accidentali solum aut solum substantiali, Nec proinde id postulat tantum ut similitudinem accidentalem producat, quomodo substantia, quoniam abstrahit a spiritu Et Corpore, tantum Corpus Esse non postulat.

Nota 3o Intellectum qui Est in fine perfectionis ob duplicem Concurrentem Causam intelligi producere similitudinem substantialem: prior Est quod 2um se perfectissimus sit, posterior quod res ut intelligenda sit In Eo omni modo perfectissimo, quo fieri potest, hoc Est substantialiter, Cum Enim pendeat Intellectio, tum ab Intellectu, tum ab obiecto ut Sanctus Aug. docet, 9i de Trinit. Cap. 12o sive a modo quo obiectum Est In

intellectu, ut quo perfectior est intellectus, quoque perfectior modus, quo obiectum In ratione Intelligibilis Est In Eo, tanto perfectior sit Intellectio, pendere debet a duabus Illis causis Concurrentibus, ut similitudo substantialis sit; In nobis Intellectus accidentalis Est, Et obiectum Est In intellectu nostro, modo solum accidentali puta per speciem impressam, sive obiectum solum accidentaliter In ratione speciei Impressae unitum, Ideo non substantialis sed accidentalis solum Est similitudo quam producit. E Contra si quis Cogitari potest Intellectus qui sit in fine perfectionis, quoque obiectum suum sibi substantialiter unitum habeat, non potest non producere similitudinem substantialem. quibus Notatis.

Antecedens probatur. Ut filius divinus Eo quo procedit per Intellectum similis sit patri Et similis sit in natura, satis Est quod Intellectus sit in fine perfectionis Et natura divina illi In ratione Intelligibilis obiecti uniri postulat per se, Et reipsa unita sit, sed Intellectus patris Est in fine perfectionis ut manifestissimum Est, Et natura divina, Illi substantialiter In ratione obiecti unita Est, utque nequeat alia forma tanquam specie Impressa fieri Intelligibilis patris Intellectui, quam per se ipsam, ergo debet similitudinem substantialem producere, quae similitudo alia non Est quam in natura.

Quod Ex Eo Confirmari potest quia æque postulat natura diuina non Exprimi per aliam similitudinem quam per seipsam, atque postulat non aliter Intellectui In ratione formæ Intelligibilis quam per seipsam uiri; Ergo Cum non possit aliter Intelligibilis Esse quam per seipsam, Neque aliter quam per seipsam Exprimi potest, quod Est terminum Intellectus patris sine speciem Expressam aliam Esse non posse quam similitudinem in natura.

Atque sic Intelligitur filium diuinum non solum identice sed Etiam formaliter Et ui suæ processionis patri In nãa similem Esse. Nam quod per Intellectum procedit per se postulat Esse aliqua patris tanquam Intelligentis similitudo, quod autem per Intellectũ ita determinatum, ut Et sit In fine perfectionis Et non aliter, quam per Essentiam diuinam quæ Est ipsius patris Essentia uicem speciei Impressæ gerentem moueatur ad intelligendum postulat Eandem Essentiam Exprimere, atque adeo non alium terminum producere quam similitudinem In nãa.

Confirmatur adhuc hæc nra doctrina Intellectus patris debet Intelligi ut facultas generatiua Estque In Communi Theologorum sententia, quod Cum non habeat præcise ut Est Intellectus, id debet habere ut ad talem

Intellectum determinatur, at nihil Coodius assignari potest per quod ut ad talem Intellectum determinatur sit potentia generativa, quam quod sit in fine perfectionis et in essentiam divinam quae est eius obiectum, sibi substantialiter unitam habere postulet, et reipsa habeat.

Dices filium procedere patri similem in natura, quia procedit per Intellectum qua divinus est, non est enim procedere vi suae processionis formaliter similem in natura, est tantum esse similem, quia deus sibi omnia quae in se sunt, identificat, sed filius procedit patri similis in natura, quia procedit per Intellectum qua divinus est, neque enim Intellectus ut abstrahit a divino habet ut producat simile in naa, alias quilibet Intellectus etiam creatus simile in natura produceret, ergo.

distingo Maiorem, quia procedit per Intellectum qua divinus est, si Intellectus ut abstrahit non tendat in similitudinem concedo secus nego.

distingo Minorem, filius procedit patri similis in natura quia procedit per Intellectum qua divinus est, et Intellectus ut abstrahit, tendit in similitudinem concedo, secus nego, nam quia Intellectus ut abstrahit

tendit In Similitudinem, Intelligitur quoque
ut talis Est tendere per se In talem Simili
tudinem, atque ut Intellectus Contractus ad
Creatum per se tendit In Similitudinem
tantum intentionalem, quæ simul In naa
non Sit, neque Enim id habet Solum materi
aliter, Sic Intellectus ut Contractus ad
diuinum per se tendit In Similitudinem
quæ Sic Intentionalis Sit ut fit quoque In
natura, idque Solum materialiter non habeat.
quo differt Similitudo quæ inest filio Cum
patre In Essentia diuina ab Ea qua Justitia
Et misericordia In deo Sunt quod Idem, hæc
Enim identitas inde petitur quod Essentia
diuina Sibi materialiter veluti identificet.
omnia, non quod Justitia Ex ulla ratione
generali tendat formaliter In ullam identi
tatem Cum misericordia ad quam ut Sum
mum se se passiuè habet. at Intellectus
ut abstrahit per se In Similitudinem ~~...~~
tendit.

Dici posset Intellectum qui per se ut
abstrahit, tendit In Similitudinem,
tendere per se In Similitudinem In naa
ut Est Intellectus perfectissimus, Et benè
quidem; Nam Et Sanctus Th. vult 2am
personam generari; quoniam intellectus
Est In fine perfectionis: Et Sic Explicatur
Si natura diuina non Sibi identificaret
omnia, adhuc 2am personam filium

fore, quia procederet per Intellectum perfectissimum. Non Est tamen negandum Intellectum patris Ex Eo formaliter habere, quod producat simile In natura, quia diuinus Est. Nam neque vllus Intellectissimus perfectissimus Est aut Esse potest, quin sit diuinus, Et sicut ad Cognitionem Comprehensiuam dei formaliter se habet, quod sit Intellectio diuina qua diuina Est, Ita vt Esse diuinum sit veluti differentia Contrahens Intellectionem ad rationem Comprehensionem, Et ad Eam se habens formaliter, sic Esse diuinum Est veluti differentia Contrahens Intellectum ad rationem intellectus generatiui siue productiui similis in natura, Et ad illum se se formaliter habet.

Quod dicis Intellectum Creatum, quantumcunque perfectus Euadat nunquam Eo progredi posse vt producat simile In natura id verum Est quidem, Nec tamen sequitur Intellectum diuinum per se non habere vt simile In natura producat, Nam sicut quantumcumque præstat Intellectio Creata nunquam assurgit ad perfectionem Comprehensionis Essentiæ diuinæ, Et tamen Intellectio adiunctam habet differentiam, quod diuina sit, fit formaliter Essentiæ diuinæ

Comprehensio, sic licet intellectus Creatus nunquam possit generatiuus fieri, tamen intellectus diuinus hac adita differentia quod diuinus sit, fieri formaliter generatiuus merito concipitur, quod Est intellectum diuinū productionem similia In natura postulare. Sicut intellectus diuinus eo quo diuinus, Et Est in fine perfectionis, Et postulat naturam diuinam, pro specie impressa Et iam dictum Est.

Dicet 2° pater diuinus cognoscit res possibiles Et tamen filius non Est similis in natura rebus possibilibus, ergo nec filius similis erit patri In natura, quia pater suam naturam Intelligit. Nego Conseq.

Nego Consequentiam nam Essentia diuina non solum cognoscitur a patre, sed Etiam intellectu patris Eadem Essentia inter natus Est tanquam suo obiecto, adeoque Eandem Essentiam Exprimit, at non Est informatus ipsis rebus possibilibus per se considerata; Itaque necesse non Est Et Earum naturam Exprimat In se, satis Est, quod Exprimat Ea per qua infor matus Est, per qua Etiam cognoscit res possibiles, quomodo sicut alia attributa

sic et omnipotentia, in qua, sic et in essentia res possibiles cognoscit eadem essentia mediante intellectum patris informat. at eadem exprimit.

Ex quo intelligitur quomodo filiatio sit relatio simplicissima, et prout abstrahit a natura divinisque attributis, non includat eorum repræsentationem, nam repræsentatio est eo ipso quo habet similitudinem in naa et divinis attributis quam habet independenter a repræsentatione quæ filiationi seorsim inexisteret, et quæ inutilis foret. Coeterum si filius repræsentet naam et attributa, nemo inferet eorumdem filium esse, est enim filius non cuiuscunque obiecti cuius repræsentatio est, sed principij sui productivi tantum, atque adeo solius patris qua de re adhuc infra.

Secunda conclusio Spiritus stus genitus non est, quoniam vi suæ processionis scilicet volitionis patri et filio similis non est in natura.

Probatur quia Spiritus sanctus procedit solum ut amor divinus, sed amor divinus vi suæ processionis non est similis in naa ergo Spiritus sanctus vi suæ processionis non est similis in natura.

Minor probatur. Nam voluntas In genere non producit similitudinem, sed tantum tendit in rem amatam, Ergo voluntas in specie sive ut divina per se non producit similitudinem in natura, Nec proinde amor In specie, sive amor divinus similis est in natura vi suae processionis.

Nec dicas sicut Intellectus In genere tendit In similitudinem, Ita voluntatem in genere eo tendere ut faciat unum, et sicut Intellectus in specie scil. qua divinus est, tendit in simile In natura, Ita Ita et voluntatem in specie et qua divina est tendere In aliquid unum In natura, Nam voluntas in genere facit unum metaphorice tantum et secundum affectum quatenus producit pondus in rem amatam, neque aliter facit quid unum quam quomodo res amans et res amata fiunt cor unum et anima una, at fiunt tantum quid unum metaphorice et 2um affectum; Neque enim cum dicitur Math. 6o ubi est thesaurus tuus ibi et cor tuum, alia quam metaphorica, et 2um affectum coniunctio, quod Inter et thesaurum indicatur, unde et voluntas in specie sive ut divina faciet tantum metaphorice unum et 2um affectum et quia infinita est, faciet unum 2um Infinitum affectum, et infinitam propensionem in rem amatam, quod est eam infinitum pondus producere, nihil tamen quod realiter sit unum et simile In naa. Et vero pater et filius non habent formaliter similitudinem, In naa ex eo quod se mutuo diligant

Et Ex Eo quod filius sit á patre, ergo Et Spiritus Sanctus habet vitam Eiusdem amoris, quod sit quid unum Cum iis, Cum non magis ipse Cum iis unum quid Esse possit, in quantum Est veluti pondus quo feruntur In Invicem, quam ipsi inter se quid unum sint, Ex Eo quod sese mutuo diligant.

Facit quidem nonnunquam amor aliquam unionem realem inter amantes Et Cum Eos Coniungit loco, sed hoc amori meré Contingens Est, Et Extrinsecus Eius Effectus, Nam Et amicorum interdum maior amor Est quo longius a se Invicem distant, sicut Et odium hostem hosti Coniungit loco, quo facilius Ei noceat. Ideo Sanctus Thomas 1a 2ae qstione 28a artic. 1o ad 2um dicit unionem realem Esse secundum Convenientiam amoris Essentialem, amori Esse non vult.

Quod si amor dicitur Esse similis rebus amatis, similitudo illa repraesentatio non Est, sed qua passio seu proportio quaedam secundum quam omnis potentia aptatur Et proportionatur obiecto suo, Et sic amor similis Est obiecto suo, quoniam honestus Est. Sic obiectum honestum, Turpis si turpe obiectum habet.

Cur unio Metaphorica quae amori In genere Convenit non possit Contrahi per unionem realem Et naturalem, per se manifestum Est, Nam sicut Ens fictitium per nullam differentiam realem Contrahi potest per differentiam per quam tale fiat realiter ac naturaliter, E' Contra

Intelligimus similitudinem Intentionalem in quam tendit Intellectus In genere, Contrahi posse per similitudinem naturalem; Nam similitudo intentionalis Est quæ mente Exprimitur, quæ si dicitur Intentionalis Et non realis, non ideo negatur aliquo modo realis esse, sed talis Esse non dicitur, Ut intelligatur ad mentem pertinere, quare Intelligitur Contrahi posse per similitudinem naturalem, nam Et iam observavimus Esse Intentionale quod Est per modum speciei impressæ, Contrahi posse per Esse naale sicut re vera Contrahitur intellectu divino, in quo Essentia divina non per aliud Esse Intentionale quam per se ipsam ad Intelligendum movet.

Objicies 1° Ex Communi Axiomate, omne agens quando agit, intendit producere simile, ergo Et voluntas intendit producere similitudinem, ac proinde Spiritus Sanctus habet quod procedat Ut filius.

Distingo ant. omne agens quod imprimit patienti qualitates suas Ut In Eo producat formam suam, quod Enim solum spectat Axioma physicum Esto possit Extendi ad agens quod agit per modum seminis quale Est intelligens Concedo, omne agens omnino nego. Nam magnes attrahendo ferrum, ignis ascendendo sursum, lapis deorsum descendendo, simile producere non Intendit, Extendi posset omne agens, sed vox simile idem Esset ac proportionatum, quomodo voluntas filium sibi proportionatum producit, —

scilicet impulsum et pondus in remamatam.

Objicies 2° Si voluntas ut abstrahit tenderet in aliquid solum unum metaphorice, repugnaret spiritum sanctum esse unum realiter seu naturaliter cum patre et filio, sicut animali ut picto secundum genus repugnaret esse realiter animal rationale, sed falsum consequens, ergo et antecedens, ac proinde voluntas ut abstrahit tendit in aliquid unum quod per differentiam contrahi formaliter possit ad unum in natura.

Distingo sequelam maioris repugnaret esse unum realiter per differentiam per quam formaliter contraheretur, concedo, identice et materialiter nego;

Nam sicut actio, quoniam ut abstrahit, non potest contrahi formaliter per differentiam quae eam constituat in genere passionis, tamen ut descendit ad actionem creatam fit quid unum cum passione, in sensu identico; sic amor qui in genere tendit solum in quid unum metaphorice ut descendit ad deum, tendit in terminum, qui realiter ac naturaliter unus sit, sed in sensu identico. ~~[illegible]~~, quod animal pictum fieri non possit realiter animal rationale, mirum non est, quia nihil est realiter animal rationale nisi quod verum animal contraxerit. Cum aliunde nullus sit identicus sensus, per quem quod 2um se est animal pictum, realiter fiat animal rationale. at quod 2um se unum est metaphorice in deo fit

bnum realiter In sensu identico, quoniam Essentia divina sibi omnia identificat, Et amor divinus, qui vi suæ processionis solum foret pondus in rem amatam, non realis unio, sit quid unum realiter cum Eadem natura ob Illum sensum identicum.

Objicies 3°. Spiritus Sanctus per se Est deus ergo vi processionis deus Est, ac proinde similis In natura patri Et filio,

distingo ant. Est deus per se, quod In se Et 2um Quam Entitatem sit deus Et non possit non Esse deus Concedo, quod vi suæ processionis nego. Nam Eua erat per se Et Essentialiter hoo Et tamen vi suæ processionis homo non erat, cum processio Ex Adami Costa non postularet naturam humanam sed aliud quidvis a deo produci poluisset.

Instas Natura divina per se postulat tres relativas personalitates, ergo per se Et vi processionis Communicatur spiritui sancto.

Nego Conseq. nam vt intelligatur postulare tres personalitates, satis Est quod necesse sit Eam quovis modo per tres personalitates persistere, at per se Et vi processionis Communicari Est processionem ad Eam Communicandam Ex propria sua ratione tendere. porrho fieri non potest quin Essentia divina quovis tandem modo subsistat in tribus personalitatibus, quamvis processio per voluntatem Ex propria ratione non tendat ad Communicationem naturæ divinæ, nec proinde per se Eadem natura

Spiritui Sancto communicetur, sic Entitate notionis creata per se postulat esse actio simul et passio, Neque tamen actio per se actio Est, vel e contra. Sic Relatio spiratoria intrinsecè postulat esse in patre et filio, et per se 1° postulat communicari filio a patre, neque tamen primariò communicatur. sed tantum 2.rio scilicet ad communicationem essentiæ.

Eodem modo solvitur quod Spiritus Sanctus dicitur per se esse persona, non id verum Est, neque tamen vi suæ processionis Est persona, si quidem persona non Est nisi quatenus terminat naturam Intellectualem scilicet divinam, ac vi processionis non terminat naturam intellectualem divinam, sed postulat solum terminare volitionem, sine id quo voluntas constituitur formaliter Amans, quodque se habet per modum impulsus et pondus, quare vi suæ processionis solum subsistendi Est, cum per eam proximè et immediatè subsistentia solum producatur, quod autem sit persona, id habet identicè scilicet ob divinitatem, qua sicut identificat sibi subsistentiam, ita prædat et per eandem subsistentiam ipsa terminetur, sicque subsistentia fiat personalitas, quoniam fit terminus naturæ Intellectualis. Simili modo Est sanctus per se, sed non Est sanctus vi suæ processionis. Sanctus ingnam S.tate essentiali, Nam si qua Est personalis seu propria subsistentia, suam vi processionis sanctitatem habet.

Ex hic sequitur licet Spiritus Sanctus quidquid est ab alio sit, non tamen eo modo esse ab alio, ad quod sufficit ut divinitatem et personalitatem habeat ab alio, quocunque tandem modo habeat, sive ex processione sive quia naturae sibi omnia identificat, sed licet sit deus et persona formaliter, non tamen habet formaliter ut sit deus et persona, quatenus est ab alio, cum sine processio eo per se non tendat ut simile in nāa et terminum in natura intellectuali subsistentem, qui sit persona, producat.

Articulus quintus
Utrum sint plures processiones in divinis quam duae.

Unica Conclusio. Duae sunt tantum in divinis processiones; est de fide et probatur.

1° Scriptura Ubarum duarum tantum processionum mentionem faciunt.

2° tot sunt processiones, quot procedentes, cum singulis processionibus sua terminus respondeat, sed duo tantum sunt procedentes praeter quos datur quidem persona ingenita scilicet pater.

3° non sunt plures processiones quam actiones.

immanentes, sed duæ tantum sunt actiones immanentes, nam ut ne multiplicentur hoc sufficit ut in deo sint tantum duæ facultates immanenter operantes, ut necessario operentur quantum possunt, ut neque ex se neque ex alia causa impediente limitentur, ut agant uniformiter, et a sua operatione cessare non possint. at res ita se habet. Nam 1° datur solum intellectus et voluntas, quæ operentur immanenter, facultas omnis sensitiva, est extra naturam intellectualem, omnipotentia solum operativa est ad extra, et bonitas per se operativa non est. hæc docet sanctus Th. hoc art. in corpore et ad primum et 2.um 2° necessario operantur, neque enim deus se cohibere potest ab intelligenda amandaq. essentia sua, et id volunt cum omnibus quæ cum essentia necessariam connexionem habent. 3° intellectus et voluntas limitationi nulli subiacent, cum et 2.um se infinitatem habeant, et iis præsens sit obiectum omne, et omni suo obiecto actu attingendo adæquentur. 4° sicut operantur necessario, ita et idem semper agere perseverant, tale nihil occurrit, in homine vel angelo, nam licet duas tantum habeat ~~[illegible]~~ interiores facultates, tamen non necessario operantur, quam cum possunt, neque sinitantur quantum possunt, adæquant actui

obiectum suum, quod obiectum latius pateat nec denique semper in eodem actu perseverant sed ab uno obiecto transeunt in aliud

Quaestio 28ua
De Relationibus Divinis
Articulus primus
Utrum in deo sint aliqua relationes reales.

Relationes vel sunt dei ad creaturam vel personarum inter se, priores non sunt reales tum ex Sancto Thoma hic ad 3um tum quia deus 2um nihil sui dependere potest a creaturis: ac dependeret cum relata mutuo dependeant, saltem ubi relationes a natura distinctae sunt. Neque vero de illis agimus sed de posterioribus tantum, et quaerimus 1o Utrum sint reales. 2o Utrum tam 2um esse in, quam 2um esse ad reales sint.

Prima Conclusio. relationes personarum inter se reales sunt.

1o Scripturae personas appellant nominibus significantibus relationes et per ea praecipuo quodammodo eas designant, baptisantes eos in nomine patris et filii et spiritus sti Math. 31o qd tam apte non fieret si relationes reales non essent.

2° Concilia id Indicant. Toletanum 11um In confessione fidei in relatione personarum numerus cernitur &c. Et hoc solum numerū insinuat quod ad invicem sunt, Et In hoc numero carent quod in se sunt. Wormaciense in professione fidei, quod pater Est, inquit, non ad se sed ad filium est. Et in Concilio florent. sess. 28a Joannes Theologus agens latinorum partes, sola inquit relaō apud omnes graecos Et latinos doctores divina processione personas multiplicat, Ita ut non ulla alia ratione quam vi relaōis pater a filio, ac una persona ab alia differat, ubi Est quod persona sit Et quod distinguatur numero ab alia, fit per relationem, quod non diceretur si relaōes reales non Essent sed rationis tantum

3° Ex sanctis patribus Sancto Athanasio dialogo 1° de Trin. Nomen, inquit, dei nāam indicat, Nomen patris eam rationem quam ad filium habet. S. Aug. tractatu 29° In Joannem de verbo divino loquens, quid Enim inquit non tam tuum quam tu si alicuius es quod es, Et libri 5i de Trin. Cap. 8° et 9° dicit solam substantiam Et relaōem proprie in deo inveniri, quibus similia ad personarū constitutionem vel distinctionem pertinentia tradunt Sanctus basilius sermone de fide Stus Greg. Nazianz. oraōe 1a Et 4a de Theologia, Stus Cyrillus lib. 2° thesauri Cap. 3° Et lib. 7° Cap. 1° Et Stus Anselmus In Epistola de processione Spiritus Sancti contra graecos, quae doctrina cum tam constans sit apud patres

tanquam Consentiendo Concilijs et Scripturæ
sine temeritate et Errore Contrarium in fide
defendi non potest.

Ad 1um rationem Duplicem quam affert Sanctus Th.
prior habetur In Argumento Sed Contra. deinde
Est realiter Et intrinsecè pater, Et realiter Et
intrinsecè filius, Deque a paternitate Et filiatione
quo differt ratio patris Et filij a ratione Crea
toris qua illi Extrinseca Est. Ergo paternitas
Et filiatio reales Sunt.

Posterior In Corpore articuli Cum aliquid
procedit a principio Eiusdem naturæ, necesse
Est quod ambo Scilicet procedens Et id quod procedit
In eodem ordine Locant, Et sic oportet quod habeant
reales relationes ad invicem, Sed filius procedit
a principio Eiusdem naturæ Scilicet a patre,
ergo inter patrem Et filium Sunt relationes
reales. rationem Suam restringit ad princi
pium Eiusdem naturæ Sine ordinis Et necessi
tatis, ne relationem realem ad Creaturas in
deo Logatur admittere.

Dicendo Ex Boctio libro de Trinitate, Cum quis
praedicamenta in divinam bertit mutationem
Cuncta mutantur In Substantiam qua praedi
cari possunt, ad aliquid vero, id Est relatio,
non potest praedicari. ergo relatio realis non
Est in deo.

Distingo antecedendo, quod de Eo non dicatur
per modum inhærentiæ, Et quod proinde Sub
illa ratione Confundatur Cum divina Substantia
Concedo, quod non dicatur per modum ad aliud

se habentis nego. Ita Sanctus Th. ad 1um
ponit boetius discrimen inter relaões et attri
buta absoluta et propria 2um rationem, de
deo dicuntur in ordine ad deum, et sic in subst
antiam verti intelliguntur, illa formaliter
ut relationes dicuntur in ordine ad aliud, sic
paternitas denominat patrem in ordine ad
filium sub qua ratione intelligitur mutari
substantiam, quanquam non desinit relaõ
2um esse de deo praedicari. deus enim est pater
quatenus paternitas est in deo.

Dices 2o Ex eodem boetio citato libro, similis
est relatio in Trinitate patris ad filium et
utriusque ad Spiritum Sanctum ut eius quod
est idem ad id quod est idem, ubi supponit
extrema relationum divinarum non esse
realiter distincta, cum tamen relatio realis
extrema realiter distincta supponat.

Distingo antecedens relatio est in Trinitate
ut eius quod est idem ad id quod est idem
quia per relaões non diversificantur substantia,
sicut nec per identitatem diversificantur concedo,
quia relata sunt omnino idem et idem, nec
distinguntur realiter nego Ita Sanctus Th.
ad 2um, vult solum boetius relationes diuinas
non invehere realem naturarum inter-
personas distinctionem.

Dices postremo ubi sunt relaões reales ibi
mutua est correlatorum dependentia, sicut
e contra dependentia tantum est una ex parte

ubi uno in Extremo relaõ realis Est. v. g. In Creatura ad deum, sed pater simul et filius a se mutuo non dependent. ergo

distingo Maiorem, dependentia saltem latius sumpta, id Est mutua Exigentia Concedo, proprie sumpta distingo, si occurrat naturalis distinctio Concedo secus nego. de de priore Interpretandi sunt sancti patres si qui sunt qui dicant personam unam ab alia pendere, ut sanctus basil. Epla 43a stum spiritum a filio. stus greg. Nyssenus tres personas a se invicem, nam posterior in deo locum non habet. sicut nec distinctio naõe, Ideo quia dependentiæ nomen pro strictiore Communiter accipitur, In divinis usurpandum non Est.

2a Conclusio relationes personarum reales sunt, non solum 2um Esse in, sed etiam 2um Esse ad. Est Contra Paludanum in 3um distinctione 1a qstione 2a art. 3o et Capreolum in 1um distinct. 33a art. 1o qui Cum sicut in Creatis relationibus, sic in divinis distinguant Esse duplex scil. Esse in et Esse ad, relaões priore solummodo reales Esse volunt Est tamen Communis et probatur.

1o Ex sto Th. hic In Corpore ubi posteaquam dixit Ea quæ dicuntur ad aliquid 2um propriam rationem significare solum respectum ad aliud ad differentiam aliorum generum, ut quantitatis et qualitatis quæ secundum propriam raõem

significant aliquid alieni inhærens, eundemq. respectum vel esse in rerum natura, id est realem, vel tantum in apprehensione rationis eas relationes, sive respectus, qui sunt inter producens et productum eiusdem naturæ, vult reales esse, sicque reales esse relationes quæ secundum processiones divinas accipiuntur cum procedens et id quod procedit sint eiusdem naturæ.

2° Illud in relationibus divinis debet esse reale per quod personæ realiter distinguantur ab invicem, neque enim distinctionis realis ratio esse potest, nisi quod reale est, sed distinguntur personæ ab invicem per relationes 2um esse ad consideratas. tum q.a ex conc. Toletano 4° citato loco hoc solo numerum personæ insinuant quod ab invicem sunt, et in hoc numero carent quod in se sunt. tum quia hoc solum distinguntur quod sibi opponuntur ut paulo ante diximus, at non opponuntur 2um esse in, quia sic considerantur ut sunt in essentia divina et cum ea realiter identificantur, quomodo non distinguntur ab invicem, sed tantum 2um esse ad, per quod personæ sese mutuo respiciunt.

Cæterum sintne relationes etiam 2um esse ad qua prædicamentales, an qua transcendentales tantum, pendet ab ea qstione sitne relatio prædicamentalis, aliquid extremis superadditum

necne, nam si est quid superadditum, illud esse ad, reale erit in divinis relationibus, qua transcendentalibus solum, sicque illis conveniet, ut alio modo sunt ad aliud quam ad nudum terminum, quomodo paternitas ut productio est ad filium, in ratione producti refertur, sin autem relatio qua praedicamentalis aliquid superaddit esse ad, reale erit in divinis relationibus qua praedicamentalibus, et sic cum eadem paternitas simul sit haec tria, existentia, origo et relatio, qua origo transcendentalem solum respectum habebit scil. ad productum, ac praecise ut relatio realem habebit respectum sed ad terminum solum, eritque tantum hoc discrimen inter hanc et creatam relationem, quod in relationibus creatis producentis et producti re distinguantur, haec tria subsistentia producentis, productio et relatio, quae in divinis relationibus a se invicem secerni non potuerunt. Stus Th. citato loco videtur relationem facere realem 2um esse ad qua praedicamentalem, adeoque quatenus nudum respicit terminum, et vero qui negant ut sic realem esse, videntur velle paternitatem ut subsistentia est, et origo, realem esse non tamen praecise ut relatio seu paternitas est et tamen cum prima persona designetur patris nomine, imo cum eam expressius patris quam genitoris nomen explicet, ut docent Theologi ubi de baptismatis forma, quis putet

Eo nomine nihil reale significari? aut quis non malit, si ita necesse sit ponere in Creatis realem relationem prædicamentalem quoniam et talis admittitur in divinis quam eam á divinis excludere, ne in Creatis realem aliquam prædicamentalem relaõem admittere cogatur, ea tamen quæ erit in divinis non continuo erit in prædicamento si Deum, et divina omnia placet a prædicamento excludere sed prædicamentalis vocabitur, quod Creatæ prædicamentali similis erit.

Quæres utrum relationes personarum 2um esse ad sint perfectiones.

Respondeo esse ita maior In 1um distinct. 33e ad 1um Torres hac qstione articulo 2o disp. 3a puncto 3o In fine, et alij contra Schotum quodlibeto 5o Durandum in 3um distinct. 1a qstione 3a num. 13o Caietanum hac qst. articulo 2o et nonnullos alios.

1o Ita sentiunt patres, Sanctus Cyrillus lib. 1o Thesauri Cap. 6o ubi ait perfectum esse patrem non solum qua deus est, sed etiam qua pater. et Stus Damasc. libri 1i de fide Cap. 4o ubi proprietates personales patris et filij, et Spiritus Sti vocat perfectiones.

2o quidquid habet rationem veri entis habet quoque aliquam perfectionem cum per suam perfectionem in ratione talis entis constituatur sed relaões personarum habent raõem veri entis cum 2um suum esse ad reales sint.

